



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

Ex bibliotheca Gerardi Schapij  
ex dono ex dedicatione A. alteris.

79. k. 62

Fontaine, Hugo



HVGONIS GROTI  
IN  
CONSULTATIONEM  
G. CASSANDRI  
Annotata.

CVM NECESSARIIS  
ANIMADVERSIONIBVS  
ANDREÆ RIVETI.

ACCESSIT

Tractatus de Christianæ pacificationis & Ecclesiæ  
reformandæ vera ratione, ab eximio quodam  
Theologo, ante annos LXXX editus.

i Reg. XVIII. 24.

Visque quo claudicatis in duas partes?



LVGD. BATAVOR.  
Ex officinâ Elscvirianâ.

clo loc xlii.

593981-A.





*Nobilissimis, Amplissimis, Magnificis &  
& consultissimis viris, Dominis*

C V R A T O R I B V S

Inclytæ Academiæ, & Reipub.  
Lugduno Batavæ Consulibus,

A N D R E A S R I V E T V S

*Salutem & omnia prospera vovet.*

*Nobilissimi, Amplissimi, & Consultissimi Domini,*

**D**E C E N N I V M penè  
elapsum est, ex quo  
muneris quo apud vos  
per plures annos defunctus  
fueram, exercitium intermisī,  
ut alii vacarem ad quod me  
vocabat superior authoritas,  
cui reluctari nec potui, nec de-  
bui. Hoc tamen ita suscepi, vo-  
bis ægrè consentientibus, ut  
volueritis, honorem & ordi-

D E D I C A T I O N

nem professionis Theologicæ  
mihi semper servari: Ego au-  
tem eundem affectum retinue-  
rim erga venerandum illud  
collegium in quod fueram  
cooptatus; & desiderium con-  
stantissimum inserviendi usi-  
bus celeberrimæ Academiæ,  
cujus cura vobis commissa  
est, & quæ reliquo vitæ meæ  
tempore semper mihi ob ocu-  
los versabitur, utpote cuius  
ornamento, honori, & incre-  
mentis debeam, quicquid à  
me vel excogitari poterit, vel  
impendi; quod quantumvis  
exiguum à me profici sci possit,  
curabo tamen ne prorsus inu-  
tile habeatur. Ad quam rem  
etiam mihi in dies stimulos  
addit,

## D E D A C T I O N

addit; humanitas illa & benevolentiā erga mea vestra; cuius testimonia subinde percipio,  
quotiescumque non solum benignè mea invitatis ad solemnes  
actus & Academicas celebritates anniversarias : sed etiam  
quando non dignamini me cum vestra communicare con-  
silia; cum agitur de Academiæ  
bono procurando , & idoneis  
viris advocandis, cum id ocea-  
sio requirit; & necesse est ut re-  
farciantur celebrium quorun-  
dam vitorum jacturæ quibus  
lucrum fuit in Christo quiesce-  
re, & lampadem aliis tradere;  
Sæpè igitur apud me cogitavi;  
qua ratione possem aliquam  
gratitudinis meæ vobis tesse-

## DEDICAT I.O.

ram relinquere. Sed in occupationibus & interpellationibus crebris quibus hic distracthor, vix quicquam occurrebat quod offerrem, nec dum etiam occurrit, quod respondeat aut vestris in me meritis, aut meis erga vos debitis. Malui nihilo minus aliquid, quam nihil prorsus offerre, quod quantumvis exiguum à vobis tamen spero non rejectum iri, ab eo animo profectum, qui totus vester est; præsertim cum scriptio[n]is istius occasio mihi fuerit oblata ab eo viro, qui olim florentissimæ vestre Academiæ, inter rara quæ excoluit ingenia, maximo fuit ornamento, qui etiamnum si exquisitam

in

## D E D I C A T I O

in multis eruditionem specie-  
mus, nulli eorum cedit, quos  
ab ortu suo, alio studiorum  
suorum inscripsit. Quo magis  
deplorandum est, quod sanam  
illam doctrinam, quam in ea à  
teneris imbibetur, & Ecclesia,  
cui nomen dederat, ædifican-  
dæ studium, deposuisse vide-  
tur, ut deplorandi schismatis  
causam in eam satis apertè re-  
jiciat, atque ejus adversariis  
palpum obtrudens, eis nobis  
insultandi ansam præbeat. Id,  
cum peculiari libello tentave-  
rit, ejus dicta visum est mihi,  
zelo gloriæ Dei inducto, & ad  
id judicio piorum quorundam  
invitato, justo examini subji-  
cere, cujus vos æquos judices

\* 4      appell-

## DEDICATIO.

appello, simulque hoc quicquid est opellæ vobis dedico, meque jam ante vobis deditum, magis ac magis addisco. Valete & diu fœliciter agite, in totius fœderatæ Recip. & florentissimæ Academiæ bonum. Hagæ Comitis Kal. April. cI5. I o c k l i.



PRÆ-



## P.RÆFATI O,

### Ad Lectorem pacis & veritatis studiosum.

**D**eo sunt quæ maxime commendat  
Dèus populo suo ex Babylonica ca-  
ptivitate reduci, apud Zachariam  
prophetam; ut **V E R I T A T E M &**  
**P A C E M** diligent. Indictorum quorundam *Zach.viii.*  
anteà jejuniorum, qua præteritas miserias in <sup>19.</sup>  
memoriam revocabant, eis gratiam fecit, utpote  
non necessariorum; qui alibi etiam, obedien-  
tiam præfert sacrificiis; nec quicquam aliud à  
discipulis magis observatum voluit Dominus no-  
ster, quam pacis & concordia studium, qua inter  
se tanquam indissolubili vinculo conjuncti, in  
unum corpus sub uno capite coalescerent omnia  
corporis illius mystici membra. Ideo nihil magis  
piis & Christianis in votis esse debet, quam cura-  
re ut, si fieri potest, quantum in ipsis est; *Rom. xii.*  
cum omnibus hominibus in pace vivant: <sup>18.</sup>  
ad quod eos hortatur Paulus qui prudentissime,  
ut solet semper, has cautiones adhibuit, quibus  
nos monere voluit, non absolute cum omnibus pa-  
cem coli posse, nec id omnes pios, quantumvis cu-  
\* s piant,

## P R A E F A T I O.

ponere, & querere, afferre: à quibus causen co-  
rum Deo conscientia sua satisfactum erit, si per  
eos non fiet, quominus ea vel conservetur acquisi-  
tio, vel sarcinatur interrupta. Maxima si de illa  
pace intelligatur, qua non consistat in aliqua  
communis professione & rituum quotundam  
convenientia, sed in fidei sincera & charitatis non  
ficta communione. Quod enim propheta hec duo  
conjunctit, veritatem & pacem, & veritatem  
paci proposuit, non in alium finem factum est,  
quam ut intelligamus, solam illam pacem & con-  
cordiam Deo probari, qua fundamento veritatis  
innititur, nec ab eo vel tantillum dimovatur.  
Nullus enim approbat Christus pro discipulis  
suis, prater eos qui in ipsis sermone manes-  
bunt, nec in patre & in se unum agnosceret quem-  
quam, qui non sit sanctificatus per veritatem.  
Pietatis unitas in vera fide consistit; ubi veritas  
exulat, dominicum non eligit pax vera & sincera.  
Conqueruntur omnes, nec injuria, de Chris-  
tianorum dissidiis, eoque magis quod profectus  
cuncti, se pacis autorem tanquam ducem sequi,  
qui in eum finem venerit in mundum, ut pacem  
nobis relinquere, eamque annunciarci curares, iis  
qui procul erant, & qui propè. Sed hostiū generis  
humani ab initio lites & discordias fecerit inter  
fratres, & in id maxime incubuit, ut eos inter se  
divideret, quorum vires conjunctas reformatobat;  
effecisque tantum us schismatisbus variis discessa  
fuerit

## P R A E F A C T I O.

fuerit Ecclesia, qua una esse debuit. Hoc nostra  
preferimus & patrum nostrorum, quo post eos  
in ecclesiis errores, & introductas superstitiones,  
caput capit astollere variis, duabus illis recti-  
bus, variis & noni Testamento, liberius pro-  
phetaribus, cum videret Satan regnum suum  
impesi, omnem mox lapidem, ut eos qui fratres  
ad veram pacem revocabant, primum cum Deo  
querendam & calendam, è medio tolleret; & sub  
insidia se pacis praetextu, vera pacis ostium clau-  
deret; adde ut necesse fuerit iis qui pacem cum  
Deo quefierunt, ab iis sedecere, quis illata vi eos  
voluerunt ad suas partes abhere, ut veritati con-  
gnita renunciarent, & valibus alienis, contra  
dictationem conscientia, communicarent. Ab eo tem-  
pore pugnatum est inter partes variis modis, & à  
verborum dissidiis, ab una parte ad apertas per-  
secutiones ventum est, ac etiamnum in multis lo-  
cis aqua & ignis interdictione in qui Pontifici Ra-  
mano nolunt adherere. In aliis paucis, in quibus  
aquierent fuerint suprema potestates, quarum be-  
neficio publicis editis, libertate conscientia & exer-  
cionem sacrorum concessa est in qui reformatio-  
nem sunt complexi; exorti sunt nonnulli non ita  
prudente, qui aliquid pacis studium pre se ferentes,  
adirent suos publice & privatum nonnulla emelli-  
re, qua putabant à sua communione magis abfa-  
teretur et qui Processantes appellantur, & eas  
allevare à recusacione illius confitit, quam  
vide-

P R A E F A T I O.

videbantur offerre, & ejus aliquas condiciones proponere. Hinc, in quibusdam Galliarum prouinciis & civitatibus, concionatorum nonnullorum, etiam ex iis ordinib[us], qui infensissimi ante fuerant arces & stratagema, quibus longe alios verbis quam solito more, dulce canentes, controversias imminuebant & elevabant, nec diffidebantur in nonnullis rigidius actum fuisse; in aliis parum candide, facile etiam se passuros, ut libet rum sit cuique Scriptura lingua vernacula legere, à sanctorum invocatione abstinere, solo Christi sanguine pro purgatorio contentos esse, sub utraque specie communicare; pro quibus tamen olim, & nunc etiam in Italia & Hispania, albit expetandum fuisse, si quis talia in dubiam revocasset, prater heresos notam, & exquisita supplicia. Has erunt ad hanc, hactenus inauditam causa & Bacov populorum animi ab utraque parte, nonnullis vix auribus suis & oculis fidem adhibentibus; aliis anguem in herba latere, prudenter conjicientibus, & ab iis quid dona forebant, omnia timencibus. Visi sunt nonnulli lesita & Capoucini circumcurfare, verbi ministros quosdam privatim convenire, humaniter compellare, omnia polliceri, que ad controversias aminorandas, aut dirimendas, aut leniendas uenire, praeesse possent; nihil tamen remittentes de praecipuis autoritatis Pontificia fundamentis, que se satis certe manerent, non erant reliqui, quamvis.

ad

## P R A E F A T I O.

ad tempus concessa, facile repesi posse ab his, qui  
sub aliquis nova reformationis specie, se in lan-  
guos qui rendebantur, imprudenter conciscerent.  
Accessore alii secundi generis, ex eorum invicto,  
qui nomen suum in acer Prosternentes & Reforma-  
tos proficerbantur, nonnulli etiam ex ordine Pa-  
storum, qualis fuit ille qui in Gallia Narbonensis,  
postquam quicquid babebat in bonis decocisset, &  
sufflando in fumū & auras dissipasset, id voluit in  
Religione cencere, quod in auto conflando asequi  
non posuerat. Vidi & penes me habeo summa capi-  
ta Operis Henosias, in quo consarcinando animam  
efflavit. Eodem tempore, surrexit aliis, qui spem  
quam olita de se excisa erat, cum inter primas  
esse qui zelum aliquem extraordinarium pra-  
ferebant, mutata prorsus in contrarium velifi-  
catione, se fallit; & variis scriptis nunc ea im-  
petis dogmata, que prius fortiter quantum po-  
tuerat efferebat. Qui quamvis post crebras ad-  
monitiones negligebat, à sacra cum nostris com-  
muniona exclusus, abstinet à sacris Pontificio-  
rum, que scriptis afferere & confirmare con-  
tur, & in reformatorum concionibus velint no-  
line asidua amicitiam simulans, hostili animo  
in eorum causis versatur. Ita est, qui priusquam  
hoc negotium suscepisset, cum nondum se ad illuc  
procurandum addixisset, virum quendam no-  
bilissimum, mihi notum, monuit, tale: quid de  
liberatum fuisse, in perniciem Ecclesiarum qua à

Ponti-

P R A E F A T I O.

Pontifice deficerant, callido & periculoso consilio, quod ille cum desculpatum. His se alii adiuxerunt, nullorum, ut praeserunt; partium, nullius communioni addicti, libere per omnia vagantes, inter quos eximet. HUGO GROTIUS,  
Vir Clarissimus, & inter doctos hoc tempore primi nominis, qui, si se communissemur nostra limites, quos ei videbatur praefixisse vires genitio quod ab initio degenerat, inclinat forasse fidei & altius consuluisse. Sed cum vir ingeniose sit cum ampli & capacie, ut nullis coarctari possit terminis, ubique jurisdictionem exercet, in literatura omnis genitio, in linguarum cognitione, in legum & iuris peritia: ac tandem in Theologia dictaturam fidem voluit attribuere; quis, quid in qualibet communitate aut secta, quarum omnium hypotheses diligenter exquisivit, aut nunc placet, aut aliquando placuit, aut quod non arrides, vel afferit confidenter, vel obelo transfigit. Facile passi sumus cum in ceteris dominare, in quibus minus est periculi, & rationi humana plus permisum. Ac in rebus fidei & religionis, ut sedeat arbitratur, omnia moveat, & Theologiam illam mixtam jambis ab utraque parte in Erasmo, Cassandro, & Vincilio, rejectam & explosam, etiam illo tempore quos spes aliqua conciliationis affulgebat, nobis & eorum obrudat, nescio an passuri sint qui prioribus illis non pepercérunt. Nos certè non solitus ei ne acquiescamus vetas conscientia; sed etiam stimulat.

ut

P R E F A C I O

ut libere proficamur quid de hoc ejus & aliorum  
quorundam infuscis sensimmo. Libenter autem  
id quicquid est officii ab aliis expellaffem, quibus  
placuit esse, & in se am illibuc florente plus inge-  
nii & virtutum, & eorum omnium que ad confi-  
gendum cum tanto viro, necessaria: praeferim  
cum vir septuagenerius & laboribus confotus &  
contentiose scriptis abstinere possit, & alia omnia  
meditari, sine accusatione deserti vadimoni. Sed  
cum piri graves pietate & merito, ex variis locis  
id à me desiderarent, & hoc qualcumque onus,  
sua judicio, & horationibus humoris meis im-  
ponerent, illud penitus executere nolui, & sive ut  
eoduci, ut Annotata illa, que auctor inter pa-  
cas amicos suos, & doctos quosdam viros tanquam  
mysteriorum suorum Epopias, disseminabat, post-  
quam in manus meas pervenerunt, publici juris  
facerem, animadversionibus meis comicata. Quid  
autem in his praefitorum, Lectorum equo judicio  
permisso, quibus si non exactè satisficerim, id spe-  
ro saltemne ab iis imperaturum, ut promptum  
meum veritatis sunda desideriam boni consu-  
lant, nec propria exigitur me à vera pacis  
studio ab horrere, quam vultum vel sanguine meo  
redemptam. Volumus & nos pacem, sed pa-  
cem Christi, pacem veram, pacem sine  
inimicitiis, pacem in qua non fit bellum  
involatum, pacem quae non ut adver-  
sarios subiicit, sed ut amicos jungat. La-  
bens

Hier. Epist.  
ad Theophr.  
contra erro-  
res Ioan.  
Hierosol.

P. R. A. F. A. T I O.

Naz.orat. i.  
de pace.  
καὶ τοῖς  
τεμένεσι  
ἀπονοίᾳ  
τὸ τέλος  
βεατὰς  
εὐστοχούς.

bens enim & ex animo, hac Hieronymi verba usurpo. Alioqui, cum Nazianzeno confeo, melius esse dissidium pietatis causa orum, vitiis concordia. Talis est ad quam nos invitavit, qui hoc tempore se ingerunt, non vocant, non aliqua ad illud suscipiendum facultate à dissidentibus partibus donati, prasertim ab iis sine quorum nutu & consensu, quacumque vel offerunt & promittunt, irrita esse necesse est. Nam, inter concionatores Pontificios de quibus dictum est, nullus est qui à Pontifice primum, deinde à suis ordinis generali non pendeat, nullus qui prestare possit quod promittit, & qui ullo diplomate pontificio munitus sit ad illud suscipiendum vel exequendum. Proinde quacumque aut molientur aut gerent, semper improbari poterunt ab ea potestate cui sunt subjecti. Inter eos qui adhuc externa professione nobis adhaerere videntur, nulli sunt qui suspecti esse non debeant, utpote τοιστες διηγοσιας, dissidia & scandala facientes adversus doctrinam quam didicimus, à quibus monet Apostolus ut declineamus, nedum ut nos iis ad ungamus. Qui autem extra utramque communionem vivunt, nec dum elegerunt cui Religionis addicant, quod ipsi pro se nondum facere potuerunt, vix alii possunt persuadere ut faciant; hactantum, ut eorum exemplo, nulli communioni addicti, securè conventus omnes Ecclesiasticos negligant, omnis discipline jugum abjecentes. Quod

Rom. xvi.  
17.

con-

## P R A E F A T I O.

consilium nemo prudens, & salutis sua studiosus  
 sequetur, nisi velit in Academicorum & Sceptico-  
 rum sectam transire, qua à zelo Christiano tam  
 aliena est, quam quod maximè. Hac cum ita sint,  
 res suas fibi habere sinimus omnes, quotquot non Gal. 11. 14.  
 recto pede incedunt ut veritati Euangelii.  
 congruit; nec moremur velleorum in aliis rebus  
 dignitate, vel scientia, que sapius inflat, prero- 1. Cor. viii. 1.  
 gativa: sed per charitatem que adificat eos horta-  
 mur ut sapiant ad sobrietatem; quod si nolint  
 facere, saltem apud alios melius affectos conabi-  
 mur obtinere, ne iis aures prabeant qui per blan- Rom. xv. 18.  
 diloquentiam & assentationem corda ho-  
 minum minimè malorum seducant. Cum  
 autem Celebertinus Grotius, qui nomine Sueci-  
 cæ Corona legatione in Gallia fungitur, nul-  
 lam rationem habuerit recepta apud Suecos  
 doctrine, contra Pontificis tyrannidem & er-  
 rores Ecclesia Romana, quominus eam impete-  
 ret; non debet succensere iis qui Christi no- 2. Cor. v. 13.  
 mine legatione funguntur, si qui sint qui  
 in ejus dicta liberius inquirant, donec Deus u-  
 triusque partis dicta & facta in aperto ponat,  
 illustret occulta tenebratum, & manife-  
 sta faciat consilia cordium, tuncque sit 1. Cor. iv. 5.  
 unicuique laus à Deo, qui mihi testis est,  
 me nullo privato odio adductum, in virum ta-  
 lem quem alias suspexi, & cuius egregias dotes  
 semper magnifeci, stylum strinxisse; sed solo ve-  
 ritatis  
 \* \*

## P R A E F A T I O.

in aliis studio. Itaque , quam potui diligenter  
cavi , ne modestia limites transgrediceret , & res-  
ita tractarem , ut vir ille doctissimus justam non  
habeat causam , cur de me conqueratur. Deum  
precor , ut utrique nostrum magis ac magis in-  
stillet amorem veritatis , & illius concordia  
quæ bona est , quæ bono , & quæ Dœ co-  
pulat. A M E N.



F N



INDEX  
ARTICULORUM

Confessionis Augustanæ , de quibus  
agit in Consultatione, Annotatis  
& Animadversionibus.

ARTIC. I.

E unitate divinæ essentiæ in tri-  
bus personis. Pag. i.

II.

De Statu primi hominis & peccato ori-  
ginali. 2.

III.

De Incarnatione filii Dëi. 12.

IV.

De Justificatione. 14

V.

De Ministerio verbi externi & Sacramen-  
torum. 43.

VI.

De Bonis operibus fidelium. 47.

VII.

De Ecclesia & Hierarchia. 51.

VIII.

De Sacramentorum administratione. 67.

\*\* 2

IX. De

	I N D E X
X.	
<b>De Baptismo infantium, &amp; Ceremoniis Baptismi.</b>	<b>68.</b>
X.	
<b>De Cœna Domini, Transsubstantiatione, &amp; Sacrificio.</b>	<b>75.</b>
XI. & XII.	
<b>De Confessione, pœnitentia, &amp; satisfa- ctione.</b>	<b>111</b>
X III I.	
<b>De Vsu &amp; numero Sacramentorum.</b>	<b>117</b>
X IV.	
<b>De Ordine Ecclesiastico.</b>	<b>121.</b>
X V.	
<b>De Ritibus Ecclesiasticis.</b>	<b>122.</b>
X VI.	
<b>De Magistratu &amp; rebus civilibus.</b>	<b>125.</b>
X VII I.	
<b>De Secundo Christi adventu.</b>	<b>132.</b>
X VIII I.	
<b>De Libero hominis arbitrio &amp; prædesti- natione.</b>	<b>133.</b>
X IX.	
<b>De Causa peccati.</b>	<b>141.</b>
X X.	
<b>De Bonis operibus, refertur ad Articu- lum VI.</b>	<b>148.</b>
X XI.	
<b>De Cultu Sanctorum, meritis, intercessio- ne, reliquiarum &amp; imaginum vene- ratione;</b>	<b>147.</b>
xxii. De	

**A R T E C O L O R V M.**

**X X I L**

**De utraque specie Sacramenti, adoratio-**  
**ne & circumgestione.** **161.**

*Appendix.*

**De Vnctione infirmorum.** **167.**

**X X I I L**

**De Cœlibatu Sacerdotum.** **170.**

**X X I V.**

**De Missa.** **179.**

*Appendix.*

**De Solitariis Missis.** **182.**

**De Sacrificio corporis & sanguinis Chri-**  
**sti & purgatorio.** **184.**

**X X V.**

**De Monachatu.** **199.**

*Appendix.*

**De Canonicis.** **203.**

**X X V I.**

**De Potestate Ecclesiastica.** **208.**

**ADD I.**

ADDITIO N E S I  
**D. Annotatoris ad Consultationem**  
**C A S S A N D R I.**

**A R T I C . I.**

**De Canonice Scripturis.** 216. I

I I .

**De Sufficientia sacre Scripturæ & àutoritate traditionum non scriptarum.** 220. V

I I I .

**De Perspicuitate Scripturae.** 234. XX

I V .

**An omnibus permittenda sit Scripturarum Lectio?** 235. X

V .

**Fides an sit in irregenitjs?** 236. X

V L .

**De operibus supererogatoriis.** 240. X

V I I .

**De hæreticorum pœnis.** 242. X

V I I I .

**De discrimine peccatorum quæ dicuntur mortalia & vñialia.** 243

**Exegetis Epigrammatis Hugonis Grotii.** 255.

**Appendix ad Artic. VII. continens Theophilii Bracheti Milleserii positiones duodecim, de Episcopo Romano, bonis Ecclesiasticis, & Sacris vernaculis.** 264.

INDEX

# INDEX CAPITVM

Posterioris Tractatis de vera Christiana  
pacificationis & Ecclesiae reformatio-  
næ ratione.

CAP. I. De pace Ecclesia.	Pag. 3
II. De Iustificatione.	7
III. De Fide.	13
IV. De Confessione.	19
V. De Satisfactione.	24
VI. De Cultu Dei & Operibus.	26
VII. De Ecclesia.	30
VIII. De Romano Pontifice.	38
IX. De Sacramentis.	43
X. De Baptismo.	44
XI. De Cane.	46
XII. De Confirmatione.	53
XIII. De Paenitentia.	60
XIV. De Vunctione.	61
XV. De Sacris Ordinibus.	63
XVI. De Vocatione Ministrorum.	69
XVII. De Ordinibus Minoribus.	72
XVIII. De Matrimonio.	74
XIX. De Sacrificiis & Missa.	76
XX. De Iejunio.	102
XXI. De Conjugio Sacerdotum.	107
XXII. De Cultu & Effectu Ceremoniarum.	111

D E  
HVGONIS GROTII  
Annotatis Henoticis, ad Consulta-  
tionem Cassandri,  
EPIGRAMM A.

 *V*I se cumque nigrâ primi caligine viciâ  
Romano fortes eripuere luto,  
Non indignamur, si quis epidermide summa  
Sordibus elotas non habuere manus.  
*V*el serò sapuisse Phryges sapientia seculo  
Major & erecto digna vel ere fuit.  
*I*llà Cassandri *V*Vicelique, Melanchthonis illà,  
Illa Modrevii conditione placent;  
*I*llà operum, Spalatine Senex, sine crimine laudem  
A non ingrata posteritate refers.  
*S*ed veteres è luce nova repetisse tenebras,  
In vomitus prava sponte redisse suos,  
*F*abellas & decrepiti deliria mundi  
Cœlitus incenso substituisse faci;  
*V*im vero facere, ut falsi confinia tangat,  
Mollius, & tacit. fiat hic ille color:  
*A*eneus hac certo: sed si respiret, Erasmus  
In Grotio, nisi sit ferreus, ista ferat?

H V G O-



HVGONIS GROTI  
ANNOTATA  
AD  
CONSULTATIONEM  
G. CASSANDRI.  
CVM  
Necessariis Animadversionibus,  
ANDREAE RIVETI.

---

AD ARTICVLUM I.

**A**PPELLATIONEM *personarum*.] Sicut  
hypostaseos vox non vno sensu ab antiquis  
est usurpata, cum vetustiores vnam, poste-  
riores tres hypostases dixerint, ita & per-  
sonæ vox non statim omnibus bene sen-  
tientibus placuit, ut Facundus & alii notant. Et certè  
vix est ut, cùm de Deo loquimur, vt amur vocibus quæ  
omnes incommodas interpretationes effugiant. Scholæ  
Græcæ & Latinæ post multas curiosas & audaces dis-  
ceptationes in verbis tandem conuenierunt, in eorum

A

expli-

## 2 ANN OT. ET ANIMA D.

explicatione s̄æp̄ dissident. Græci veteres quidam appellant *τριάντα τριάδας*, id quod Latini personas. Cæterum commodissima ac minimè intricata mihi videtur ea explicatio quam Ecclesia Græca quæ erat Constantinopoli, tunc cùm vrbs ea caperetur, exhibuit Turcarum Sultano. Res secundæ delicatos faciunt, res aduersæ sobrios. Veruntamen vocibus Theologicis quæ Conciliorum vniuersalium auctoritate aut magno consensu eruditorum receptæ sunt, reluctandum non est. Non enim ita imprudenter fictæ sunt, vt non commoda interpretationem recipient, atque etiam à multis commodè sint explicatæ. Quibus se addere, aut certè tacere, multò est satius, quàm ob res, sibi non minus quàm aliis obscuras, & nihil ad emendationem morum pertinentes, turbare rem maximam, pacem Ecclesiæ.

## ANIMA D VERSIO.

**H**Ic Articulus agit de unitate divinæ essentie in tribus personis apud Casandrum. Ad quem hæc nota transfire potest, quæ nihil habet hoc tempore controversum, inter eos qui Ecclesiæ Romanæ sunt addicti; & eos quos Protestantes appellant. De re ipsa convenit, nec de verbis apud eos qui candidè agunt, contenditur, prælertim de iis quæ ad rem de qua constabat, à cavillis heterodoxorum vindicandam olim fuerunt admissa: verum quidem est initio nova vocabula veteribus rebus indita, non omnibus fuisse probata, qui omnia tuta timebant. sed postquam de mente eorum constitit, qui iis utebantur, omnes convenerunt in sententiam

Nazian-

Nazianzeni quam laudat Facundus, Nihil pro vocabulorum diversitate dissidendum esse, cum ad eundem sensum omnium diversitas provoget intellectum. Vel, ut habent ipsius autoris verba, Orat. 39. οὐδὲν τέλος ὁ νοματων ζυγομαχήσουμεν, εἴς αὐτὸς τὰς αὐτὰς ἐννοιαν αἱ συλλαβαι φέρεσσιν. Agebat tum de nominibus hypostasis & personæ. Ostendit autem Facundus, Ecclesiam rem ipsam prædicasse, quamvis ante Sabellium nomen personæ non fuerit usurpatum. Quod Graeca & Latina Scholæ disceptationes curiosas & audaces appellat annotator, ferri potest: fuerunt enim nonnullæ tales. Sed quod Græcorum qui tempore quo Constantinopolis venit in Turcarum potestatem, explicationem judicet commodissimam & minimè intricatam, nescio an omnibus probaturus sit, præsertim Romanis. Si intelligat eam fidei formulam, quæ à Gennadio Scholario, primo post Turcarum Imperium Constantinopoli Patriarchæ, exhibita fuit Mahometo Imperatori, quæ primum edita fuit Vienæ à Ioh. Alex. Brassicano 1530. Deinde in Turcogræcia Crusii 1584. nullam video causam cur adeo laudari debuit, ut aliis omnibus præferatur. Nam præter id quod satis obscure & ambiguè λόγον & Spiritum vocat *actiones Dei*, cap. 4. ex natura Dei ortas, retinet Græcorum sensum, qui λόγον & Spiritum à Deo procedere dicunt, non Spiritum à Patre & Filio. De voci bus olim excogitatis & usurpatis à Conciliis

& Patribus, postquam commodè sunt explicatæ, nec nos litigandum censemus. De re tantummodo constet, omnia erunt in tuto. Sed qui de Serveto, *an de Trinitate per omnia benè senserit*, dubitat, fieri potest, inquit, cumque excusare conatur, quia facilis lapsus in rebus adeo supra humanum captum positus, paratus etiam videtur ad concedendam Socinianis suam in ea re prophetandi libertatem, nedum ut eis de vocabulis item intendat.

## AD ARTICULVM II.

**H**OMO, cùm primùm est conditus, promissa nulla habuit vitæ cœlestis, sed terrestris tantum. Itaque & vires ei datæ sunt tali præmio respondentes. Alia enim est imago Dei ad quam Adamus est conditus, alia ad quam per Christum renascimur. Eux & Adami peccatum non modò documentum fuit imbecillitatis humanae, pollicitatione præmii cœlestis destitutæ, sed & labem quandam attrulit, quæ spe impunitatis multum crevit. Ad vitam cœlestem nobis dandam requirit Deus sanctitatem animi eximiam, & quæ illum Adami, non modò ex quo lapsus est, sed & cùm primùm est conditus, statum longè excedat & nos Angelis æquet, manente tamen discrimine eo quod corpora humana ab Angelicis distantia secum ferunt. Est ergo in hominibus cùm nascuntur & humana tantum institutione adolescent, aliquid non idoneum ad vitam cœlestem adipiscendam. Ideo ad eam adipiscendam renasci est opus, id est per Dei præcepta & promissa cœlestia attolli supra vires humanæ naturæ, quæ sibi magis quam aliis confulere solet. Vide si placet, quæ diximus de jure Belli & Pacis

Pacis II. xx. 19. & ad Lucam II. 22. Hofmeisterus & Vil-  
losius dicunt de tota hac re vix quicquam esse discri-  
minis inter Catholicos & Protestantes.

## ANIMA DVERSIO.

**H**ominē cum primum conditus est terrestris cātūm vita promissa habuisse, & vires tantū ei datas tali præmio respondentes, neque eandem esse imaginem Dei ad quam Adam est conditus, cum ea ad quam per Christum renascimur, si absolute intelligatur non comparate, ratione plenioris revelationis, & graduum, nunquam dixit Cassander, nec in Ecclesia Romana tale dogma probatur. Quorsum enim tribuuntur primo homini à Theologis Pontificiis dona supernaturalia, qua per peccatum dicunt amissa, si nihil ei datum sit, quo se posset supra hanc naturam evehere? Nonne homo ab initio vitæ promissa habuit, & mortis comminationem audivit? Si mortis æternæ, quod contendit Grotius in libro de Satisfactione, cap 3. cur non etiam vitæ æternæ? Cur ei data fuit anima immortalis, & in ea originalis justitia quam potuit servare si voluisset, si tantum ad id conditus est ut vitam animalem degret in terra? Cur Deus eum alloquio suo & communicatione dignatus est, si terrestris tantum præmii spem ei fecit? Peccatum originale definit Cassander ex Theologis Pontificiis & Protestantium consensu, carentiam justitiae originalis debita inesse, cum concupiscentia, sive, cum

*vitioso concupiscentia habitu, quæ spiritui & superioribus animi viribus perpetuò repugnat: Iustitia autem originalis ex recepta in Ecclesia sententia, hanc esse vim ut per eam homo esset omnibus tum corporis tum animi viribus rectus, nec agitaretur ullis turpibus & pravis motibus, sed in eo caro spiritui, & inferiores animi vires superioribus, quæ tantum ad bonum hortantur, paterent. Quid igitur deerat homini in statu innocentiae creato, quomodo ad beatitudinem æternam, quæ in fruitione Dei consistit posset adspirare? Quid ultra nunc possimus expectare in imaginis Dei restitutione per regenerationis gratiam? Non est, inquit annotator, eadem imago ad quam Adam est conditus, cum ea ad quam per Christum renascimur. Duas ergo nobis excusat Dei imagines, quarum si prior consistat in ea iustitia & rectitudine, quæ à Cassandro descripta est, in quo igitur consistet posterior illa? Bellarminus ipse lib. de grat. primi hominis cap. 2. prop. 1. contendit hominem creatum fuisse justum, rectum, sapientem, sine concupiscentia & difficultate, quam ipsi in nobis assiduò experimur. Et cap. 3. prop. 2. Primum hominem non accepisse quamlibet rectitudinem sed ipsam etiam gratiam gratum facientem, quæ filios Dei & amicos efficit, queque ad vitam æternam promerendam necessaria est. Prosper de vita contemplativa lib. 2. cap. 18. dicit hominem in primo statu, fuisse expertem peccati, capacem Dei. An qui Dei capax est, vitae coelestis non est capax? Quod*

Anno-

Annotator dicit, *aliam esse Dei imaginem ad quam creatus est Adam, ab ea ad quam per Christum renascimur, ex sacra Script. refellit idem Bellarm. ad Ephes. 4. v. 24. & Colos. 3. v. 10.* in quibus Apostolus jubet nos, *Renovari spiritu mentis nostra ēc. & induere novum hominem, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit illum.* Ex his enim colligit, eos qui jubentur renovari, fuisse aliquando novos homines, nempe in Adamo, conditos secundum Deum in vera sanctitate & justitia. Ergo non alia fuit imago innocentiae, ab imagine renovationis, si ipsam imaginis essentiam spectemus: nec verum est requiri ad vitam æternam aut cœlestem nobis dandam, sanctitatem quæ longe excedat eam ad quam primus homo fuit conditus, & quæ, ut loquitur, nos *Angeli aquet*, si statum & sanctitatem viæ intelligat. Alia ratio est de statu metæ, quia in eo per Christum tolletur quicquid est mutabile, & inter alia posse peccare: quo in statu non fuerunt Angeli primum conditi: potuerunt enim labi & deficere, quod transgressoribus accidit. Videlur autem Annotator, non multum discriminis agnoscere inter conditionem Adami cum primum creatus est, & eam in qua post lapsum nascimur, in qua dicit, *aliquid non idoneum esse ad vitam cœlestem adipiscendam.* Totam autem renascentiam necessariam in eo statuit, quod per Dei præcepta & promissa cœlestia opus est attolli supra vires humanae naturæ.

Quæ est pura puta gratia Pelagiana , ut ex Augustino multis in locis patet. Eam esse Dei gratiam, quia sic conditi sumus, ut hoc voluntate possimus: & quod adjutorium legis mandatorumque suorum dedit , & quod ad se conversis peccata praterita ignoscit. In his solis esse Dei gratiam deputandam. Apud Aug. lib. de gestis Pel. cap. 35 Et alibi, Operatur in nobis Deus velle quod bonum est , velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo praesentia diligentes, futura gloria magnitudine, ex præriorum pollicitatione succedit; dum revelatione sapientia in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem , dum nobis suadet quod bonum est. Ad quæ August.lib. i.de grat. Christ. cap. 10. Quid manifestius nihil aliud eum dicere gratiam , qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem atque doctrinam? In lege namque & doctrina sanctorum scripturarum futura gloria atque præriorum promittitur magnitudo. Ab eodem fonte promanavit, quod ad vitam cœlestem nobis dandam, dicitur Deum requirere eam sanctitatem , qua nos Angelis æquet , manente tamen discrimine eo quod corpora humana ab Angelicis distantia secum ferunt. Hanc perfectionem Pelagius perfectis suis tribuebat. Verba illius sunt, ad verba Apostoli , non quia perfectus sim, Philip. 3. Dicebat ista Apost. inquit Pelagius, quia nondum per venerat ad immortalitatem, non quia non per venerat ad justitia perfectionem. Iam ergo tam justus erat quam sunt Angeli , sed nondum immortalis, sicut

sicut Angelii. Apud August. Serm. V. de verbis Apost. cap. 3. Vnde autem sumserit Annotator doctrinam suam de viribus homini in prima creatione datis, præmio terrestris vitæ tantum respondentibus, facilè intelligent qui Socini librum de statu primi hominis legerint, in quo contendit, in statu innocentia hominem non fuisse immortalem, & expressè dicit pag. 5. tantummodo sui naturæ morti fuisse subjectum, nec in creatione donatum fuisse divina gratia. Qui etiam alibi, inter errores Euangelicæ doctrinæ nostræ, numerat, quod Adamo ante peccatum justitiam quandam originalem tribuimus, quam simulaque est creatus ex Dei gratia habuerit, prater eam quod nulla labe infectus esset, quam justitiam sive rectitudinem Salomon intellexit, cum scripsit, Hominem à Deo rectum fuisse creatum seu factum, & prater quam nec ratio ullo modo fert, nec usquam Scriptura testatur, Adamum, etiam ante peccatum, alia illa justitia fuisse præditum. Et certe si illam habuisset, quam Euangelici, una cum Pontificiis, volens, non tam facile Dei præceptum violasset. Hęc ille, lib. Quod Euang. regni Polon. &c. cap. 5. pag. 56. & 57. Smalcius Respons. ad Nova monstra Smigleciai, cap. 24. pag. 215. Primum hominem ab ipsa creatione, sanctitate & donis supernaturalibus donatum fuisse, vetus est & fœtida fabula. Crellius Respons. ad Grot. ad cap. 3. pag. 214. & 215, Vulgarem aliorum (non suam) appellat sententiam, de admirabili quadam primorum parentum ac prope divina ante lapsum

*sapiencia, & justicia, qua factum fuerit, ut intellectus quidem Deum ejusque voluntatem, & quicquid est cœlestium mysteriorum, quæ ad hominem aliquo modo possent pertinere, perfectè cognitum haberet, voluntas autem cum intellectu penitus conspiraret, denique utriusque sine lucta sese subjiceret appetitus.* Ex eo, contra Grotium, argumento ad hominem evincere volebat, non sequi si primo peccato in tanta luce mors æterna fuerit statuta, mortem eandem debitam fuisse omnibus peccatis. Nunc autem, *vulgaris illa sententia*, Grotio non arridet, qui imaginem ad quam conditus fuit Adamus, in talibus donis consistere negat, alioqui primus homo habuisset *vires cœlesti præmio respondentes*. An διάτεραι ejus Φεονίδες sint οὐφῶτεραι, judicet lector Christianus. Fuisse hanc unam ex Hypothesibus Pelagianis constat ex autore quæst. V. & N. Test. i. part. q. 123. Adamum terrenum esse conditum, sine Sp. sancto, sine adoptione in filium Dei, sine justitia. Hoc fuisse reservatum adventui Christi. Fuit autem hic autor Pelagianus. Cum Casander doctrinam de peccato originali, non incommodè exposuisset, agnovissetque *insignem quendam Theologum aperte asserere, in regenerationis manere peccatum rameti non imputetur, si peccati ratio in vitio illo & iniquitate, languore, infirmitate & morbo constituatur, addidit conciliationem de qua Vormaciæ convenerat inter Collocutores ab utraque parte.* De his sicut annotator,

qui

IN CONSULT. DE RELIG. II  
qui ad ea quæ scripsit, in lib. 2. de Iure belli & pacis, & ad Lucæ cap. 2. nos ablegat, ut videamus quæ sit ejus de peccato originali sententia; nempe qualis fuit Philonis, Sopatris Philosophi, Hieroclis, Celsi, Pythagoricorum, & Aristotelis; qui agnoverunt σύμφυτον τὸ αἷμα πάτερεν αὐθεώποις. Sed illi, neque causam tanti mali, neque pondus intellexerunt. Nec à tabibus, labis illius notitia arcessenda est. Sub finem addit, Hofmeisterum & Vilvoſium dicere, de tota hac re vix quicquam esse discriminis inter Catholicos & Protestantes. Hoc velim esse verum: Sed id non dabunt, qui de ea controversia, aduersus Protestantes tot ediderunt scripta: Nec Concilii Tridentini Patres annuerunt quam tot anathemata vibrarunt in eos, in materia de peccato originali.

---

### AD ARTICULUM III.

CHRISTVS cùm dicitur sedere ad dexteram Dei quid significet, tractauimus ad Mat. xx. 21. Christus ex quo in cœlum est evectus ubique suis adest. Matth. xviii. 20. xxvi. 1. 20. Adest autem non solâ vi divinâ, sed etiam vi corporis & sanguinis, siue passionis suæ, tanquam instrumentis, per quæ emendationem nostram & salutem operatur. Hæc enim omnia non ad scholasticas disputationes, sed ad usum referenda sunt. Cæterum digna sunt lectu quæ Augustinus ad Dardanum scripsit.

AN I-

## ANIMADVERSIO.

**A**rticulus tertius apud Cassandra agit de incarnatione filii Dei , de quo inter partes de quarum conciliatione agebatur probè convenire fatetur. Agnoscit præterea eos qui longius ab Ecclesia (Romana nempe) recessisse videntur, præclararam in hoc negotio Ecclesiæ operam navasse, nempe aduersus Melchiorem Hoffmannum & ejus sectatores , qui Eutychetis hæresim reновarunt. Sententiam eorum qui ex sessione ad dexteram Dei, naturæ humanæ in Christo, Vbiuitatem , ut loquuntur, inferunt , merito rejicit , tanquam haec tenus in Ecclesia Christi inaudizam. Hæc omnia intacta relinquunt Annotator. Sed pauca quædam addit , animadversione digna. Primo dicit se ad Matth. xx. ¶. 21. tractasse de eo quod dicitur Christus sedere ad dexteram Dei, nempe quod dexteræ regis assidere, significat locum à Rege principem. Christum quanquam in regno suo Regem , cum tamen Deo patri suo comparatur, dici sedere ad ipsius dextram . Quam interpretationem communem ; & dextram satis, agnoscimus , quia de Christo agitur quatenus est mediator , & regnum exercet mediatorum, de quo Psal. 110. ¶. 1. Et hoc nihil facere pro Vbiuitatis dogmate, certum est. Christum autem , ex quo in cælum elevatus est , ubique suis adesse , ex Mat. xviii. v. 20. xxvi. v. 20. omnibus Christianis constat .

Sed

Sed non sine grano salis accipiendum est, quod additur; Adesse non sola vi divina, sed etiam vi corporis & sanguinis, siue passionis sua, tanquam instrumentis, per quaem emendationem nostram & salutem operatur. Primum, quod pro eodem habet corpus & sanguinem Christi, & passionem Christi, non potest convenire cum eorum dogmate, qui volunt Christum hic nobis adesse sub panis & vini speciebus realiter & substantialiter. Quomodo enim potest passio Christi, quae jam diu desit, in pane substantialiter adesse? Hoc novum dogma à quodam nuper excogitatum, novas lites potest ferere, non autem veteres conciliare. Deinde, si suis adest ubique passione sua; non adest iis quos pro suis non habet. Non ergo hypocritis & impiis, qui panis Eucharistici sunt participes. Tertio si suis adest ubique, adest etiam extra sacramenta, quae non sunt ubique. Agnoscimus Christum ubique suis adesse quia Deus est. Agnoscimus etiam suis adesse ubique per Spiritum suum, quod ille voluit in locis ex Matthæo allegatis, ubi etiam probamus annotatoris sensum, adesse divina efficacia. adesse, id est favere, atque auxilium præbere. Adesse quomodo dixerunt Ebræi יְהוָה id est divinam cohabitationem, sive præsentiam adesse, iis qui sermonem habent de lege. Maximè autem ad rem facit si, quod etiam vult Elias Levita in tischbi, per יְהוָה intelligatur Spiritus sanctus, eo quod quiescit super prophetas. Sic etiam adest

adest Christus suis vi *passionis sua*, cujus merito obtinuit suis inhabitatem Spiritus sancti, quemadmodum per eandem passionem tanquam meritariam causam, quæ dici potest instrumentalis moraliter, emendationem nostram & salutem operatur. Hæc ad usum referenda esse, annuimus; sed ad usum non possunt referri, nisi de vero sensu constet. *Digna sunt lectu quæ Augustinus ad Dardanum scripsit*, Epist. LXVII. Maximè quæ differit de duabus in Christo naturis & earum proprietatibus. De carne Christi, in qua venturus est ad judicandum, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam, non est putandus ubique diffusus; Cavendum est enim ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Item: Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt.

## AD ARTICULUM IV.

**P**ERPETVO hic reciprocatur serra λογομαχίας. Nam justificare Protestantibus est remittere peccata: Catholicis, sanctum siue justum efficere. Ex vsu Hebræorum πράξη, cui respondet δικαιοώ, duo significat: primum nativo sensu justum aut quod idem est sanctum efficere: deinde sensu nonnihil inclinato, trahere velut justum, quod sit non solum peccata priora, quamvis grauia, remittendo, & imbecillitates quasdam dissimulando, verum etiam laudando, præmium & honores pollicendo. Hunc esse interdum ejus vocis sensum agnoscunt Cardinalis Bellarmius i. de Justificatione

tione cap. 19. Pineda in Jobum 4. Vega libro de Justificatione cap. 3. Salmero in epistolas Pauli disputacione 9. Quousque vis hujus vocis se porrigit, diximus ad Jacobi de fide & operibus locum. Sensus autem hic secundus tam latè quam diximus patens duo habet discrimina. Nam aut initium notat aut continuationem. Vir sapiens quædam requirit in eo quem ad amicitiam admittat, plura, vt cum eo amicitiam seruet. Remissio quoque peccatorum non semper eodem dicitur modo. Est enim remissio in hoc vt Deus alicui graibus criminibus inuoluto ea quæ ad conuersationem sunt necessaria non adimat: de qua agitur Lucæ xxiii. 34. Est alia major quam Deus omnes pœnas remittit & jus dat ad vitam æternam. Est & tertia quam id jus conseruatur: & quarta quam lapsi redditur. Dei processus in Euangeliō circa hominem hic est. Primum hominibus quantumuis vitiosis non ita irasci voluit, vt non eos præter solitum morem ad se reuocaret, per eximia miracula, præcepta & promissa Christi, pérque miracula discipulorum ejus. Qui huic vocationi se accommodant, ii per fidem habitam verbo purgantur. Vbi ea fides ad eum deuénit gradum vt sincerum pariat obedientiæ propositum, quod esse non potest sine dilectione Dei & proximi, quanquam ea dilectio multum adhuc recipere profectus potest, ei qui talis est, id est fidem habet formatam, vt loquuntur Catholici, fidem non in solo intellectu, sed & in voluntate consistentem, vt Melanchthon, jam planè condonantur peccata, & si talis moriatur, jus habet ad vitam æternam atque cœlestem, quia Deo pro summa sua bonitate ita visum est. Si vero vita post id conceditur, ad jus illud retinendum requiritur jugis pia operatio & imprimis abstinentia ab omnibus illis criminibus quæ conscientiam vastant, & à regno cœlesti hominem excludunt. Est enim condonatio plena & jus ad vitam æternam datum hac lege atque omnino. Hæc est doctrina Apostolorum veterūque omnium.

omnium. Quia verò justificationis vox est ambigua, & propterea ab his & illis aliter & aliter intellecta, pugnas serit, vtile erit in disputando cā voce abstinere, & pro ea usurpare voces remissionis peccatorum & sanctificationis. Remissio illa prima nullum respectum habet operum. Secunda etiam sine operibus potest contingere. Sanctitas in animo esse potest per Dei gratiam ante opera: durare sine piis operibus non potest. Et per hæc opera, non naturæ aut legis, sed Fidei; opera, inquam, Gratiae seruatur Dei in homines fauor, & jus ipsorum ad vitam æternam eandemque cœlestem. Vox meriti à veteribus nunquam usurpatur vbi de vocatione, aut prima illa remissione agitur. Sed sicut mercedis vox usurpatur in sacris literis, eodem sensu vox meriti, vbi agitur de conseruando illo jure ad vitam æternam, & majore etiam jure ad majora præmia adipiscendo: idque dupli de causa: tūm quia opera illa nobilitate suæ originis, utpote profecta ex verbo & spiritu Christi, & ad ejus exemplar conformata aptitudinem quandam habent ad præmium non vulgare: deinde quia Deus, vt Augustinus loquitur, non aliquid accipiendo, sed liberaliter promittendo debitorem se fecit. Promissi enim ea vis est vt conditionem implenti jus conferat. Facilius hæc intelligentur si quis legere velit quæ diximus libro i. de Jure Belli & Pacis i. 4. & sequentibus, & libro ii. xi. 1. Opera autem ista bona de quibus hic agimus, ita vt jam dicere cœpimus, non sunt ex nativis hominum viribus profecta, sed tota Gratiae Dei, quæ per Euangelium contingit, novamque naturam serit, debentur. Laudanda est in hoc argumento loquendi formula, de qua in Ratisbonensi colloquio conuénit, quam in fine hujus capitil posuit Cassander. Cūm verò dicunt veterum quidam, quos hic produxit Cassander, fide solâ nos justificari, intelligunt nos ex impiis pios fieri per fidem, quæ sola dicitur, non quomodo distinguitur à pœnitentia aut charitate, sed quomodo

modo distinguitur à longa ac jugi operatione. Hoc est quod vult Ambrosius, *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factus suis justificatur, sed qui justus est, donatum habet.* Et Augustinus de Fide & operibus: *Bona opera sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum.* Vide quæ ad Iacobum ea de re diximus. Scholastici interdum etiam iis præparationibus aut impedimentorum remotionibus quæ conuersionem antecedunt, dant nomen meriti, sed impropriè. liquet id ex Ambrosio: *Vilesceret redemptio sanguinis Christi, nec mi ericordia Dei humanorum operum propagativa succumberet: si justificatio, qua sit per Gratiam, meritu præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed opus esset operantis.* Notandum & hoc, veteres, cùm de remissione peccatorum propriè loquuntur, solius misericordiæ Dei & satisfactionis Christi facere mentionem, quia prima illa remissio, vnde cæteræ ortum habent, nullam in nobis requirit conditionem: Deinde quia etiam ubi conditio exigitur, remissio peccatorum non bene venit sub nomine mercedis. neque enim de ea re contrahi solet. Adjungit hic Cassander quæstionem de certitudine propriæ salutis. Ea vero distingueda est. Nam aut agitur de præsenti statu, aut de futuro. Pro præsenti statu dari posse certitudinem, id est scire posse aliquem pium se & fide & proposito talem esse cui salus promittatur, agnoscunt Ferus, Medina, Catharinus etiam post Concilium Tridentinum, Cajetanus quoque & Gullandus, & speciali libro Isengrinus. Augustinus in Psal. cxlix. *Est modus gloriandi in conscientia, ut moueris fidem tuam esse sinceram: spem tuam esse certam.* Idem libro XIII. de Trinitate capite 1. *Fidem quisque videt esse in corde suo, si credit, & non esse, si non credit.* Tractatu v. super epistolam Joannis: *Nemo hominem interroget, sed redat ad cor suum. Si ibi inuenies charitatem, securus sis, quia transiit à morte ad vitam.* Epistola

stola 162. *De tua certus salutē.* Bernardus sermonē i.  
de Annuntiatione : *Crede tibi peccata condonari.* Hoc  
est testimonium quod perhibes in cordē nostro *Spiritus san-*  
*ctus, dicens, Dimissa sunt tibi peccata tua.* Hanc certi-  
tudinem sic explicant veteres ; vt excludant dubitatio-  
nem. Basilius libro ii. contra Eunomium : *Tunc sine*  
*dubio credes te liberum esse à peccato.* Leo Papa II. ser-  
mone de festo Paschatis : *Deum sibi inesse non dubitent.*  
Bernardus super Cantica : *Non dubito.* Blosius : *Humi-  
liter precare, nihil hasceans, sed certè credens.* Hosius :  
*Coram Tribunali tuo nos intrepidi sistimus.* Antonius  
Marianus : *In dubitationis labyrintho non errant, quæ*  
*per Christum adepti sunt justiam.* Ceterū non ma-  
lē faciunt qui quemque admonent, ne temerē de se hoc  
credat, sed post diligens examen. Falluntur enim multi  
fidem putantes esse eam quæ fides non est, & tenue de-  
siderium melius vivendi sumentes pro firmo illo quod  
requiritur proposito. Sed id non impedit, quominus  
signa gratiæ aliquando tam aperta sint, vt nulla formi-  
do, nulla dubitatio sit conjuncta hujusmodi cognitioni,  
vt loquitur Tapperus. Altera est quæstio de certitudi-  
ne pro futuro. Hic datur magis bona spes quam certi-  
tudo, spes qualis est in honesta matrona, quæ om̄im  
semper casta fuerit, etiam in posterum talis esse vult, &  
futuram se confidit, ideōque non metuit anxiè ne se ma-  
ritus repudiet. Hæc spes sollicitudinem & cautionem  
non excludit. *Quamdiu enim viuimus in certamine su-  
mus,* vt ait libro ii. contra Pelagium Hieronymus. Ber-  
nardus : *Certitudinem utique non habemus, sed spes fi-  
ducia consolatur nos.* Hic verò periculose admodum  
labuntur qui volunt singulos credentes certos esse suæ  
prædestinationis. Qui putat se stare, videat ne cadat.  
1. Cor. x. 12. Cum timore ac tremore salus obtainenda  
est. Philipp. ii. 12. De hoc argumento non spernenda  
sunt quæ scripsit Modrevius in libris de Emendanda  
Ecclesia, & M. Antonius de Dominis lib. vii. c. ii. quæ. 5.

ANI-

## ANEMADVERSIO.

**V**erum est quod ait annotator, perpetuò hic reciprocari ferram λογομαχίας, & apud neminem magis quam apud eum, & eos quos sequitur. Certè hic se versat in varias partes, & dictatorem agit, comminiscens eas *justificationis* significationes, quæ nec in Scriptura extant, nec in eorum scriptis, quibuscum hancenüs de ea re disputatum est. Nostri, neque hic λογομαχίαν ullam exercuerunt, qui nudè & simpliciter sententiam suam expresserunt, nec confuderunt ea quæ conjungenda sunt, sed inter se distinguenda *justificationem* & *sanctificationem*: ad quam confusionem nos vult adigere, & in eum finem *justificationis* vocem abjecere, quam *ambiguam* esse dicit, quod vetum facere contendit suis divisionibus, & distinctionibus. Cassander multo minus intricatus est, & sensum suum perspicuè magis effert, addo & magis candidè. Duas hic profert significations verbi πίστις, cui respondet δικαιονός; quarum priorem & nativam dicit, idem esse quod *sancutum efficere*: deinde sensu non-nihil inclinato, tractare velut *justum*. Nullum tamen locum ex sacra Scriptura profert, quo probet *nativam* illam significacionem, neque etiam alteram, prout eam exponit. Nec certè ullus est in scriptura veteri locus, in quo verbum illud significet infundere alicui *justi-*

tiam , aut inhærente justitia donare . Ubi-  
cumque reperitur , significat , justum pronun-  
ciare , reum absolvere , justum declarare , di-  
ctum aut factum alicujus approbare : quo sensu  
etiam dicuntur homines Deum justificare , aut  
Sapientiam justificari ab hominibus . Sic etiam  
vox græca quæ ei respondet . Deut . 25 . v . 1 .  
Prov . 17 . v . 15 . Ies . 50 . v . 8 . & cap . 5 . v . 23 . & aliis  
similius locis vox illa in sensu forensi accipi-  
tur , quæ etiam opponitur condemnationi .  
Quod ergo dicit annotator , secunda illa si-  
gnificatione , *idem esse quod tractare velut justum ,*  
*idque esse non solum peccata priora remittere , quam-*  
*via gravia , & imbecillitates quasdam disimulare ,*  
*sed etiam laudare , præmium & honores polliceri ;*  
*id non exprimit aut satis explicat vim vocis ,*  
*cujus significationem nimis extendit , & sub*  
*justificandi verbo comprehendit non ea quæ*  
*propriè , &c , ut ita dicam , formaliter , ad justi-*  
*ficationem pertinent , sed eam consequentia ,*  
*& quæ ab ea distinguuntur . Includit certè ju-*  
*stificatio remissionem peccatorum propter*  
*meritum Christi ; neminem enim Deus pro-*  
*nunciat justum , cui peccata non remittat . Sed*  
*laudare , præmium & honores polliceri , id ad*  
*justificationem propriè non pertinet , sed ad*  
*justificationis & sanctificationis fructus , non*  
*ad absolutionem à peccatis & justitiæ impu-*  
*tationem , in qua consistit justificatio propriè*  
*dicta . Neque est aliquid quod cogat ut acci-*  
piamus

piamus vocem *justificandi* Dan. 12. v. 3. vel Apocal. 22. v. 11. pro eo quod est *justitiam infundere*, aut *justum & sanctum efficere*. Neque enim hoc potest esse hominum opus. Dicuntur erudientes eos *justificare*, apud Danielem, quos postquam ad fidem per verbi prædicationem adduxerunt, à peccatis absolvunt, eis peccatorum remissionem annunciantes. Dicitur in Apocal. qui *justus est* adhuc *justificari*, cum *sanc&tis operibus ostendit se esse justificatum*. Opera enim dicuntur *justificare*, quia sunt *justificationis indicia, & declarationes sive manifestationes*. Quod si aliquando vox hæc acciperetur eo sensu, quem autor *nativum* appellat, non tamen sequeretur non standum esse frequentiori significationi, maximè cum locorum circumstantiæ eo nos ducunt. Sunt enim viri docti, inter reformatos, qui non abnuunt verbum *justificandi* posse alicubi in ea significatione accipi, quam *nativam*, appellat autor, nempe pro *justum efficere*, vel per doctrinam & institutionem, quam erudientes adhibent per Scripturam sacram, *qua utilis est ad institutionem qua est in justitia.* 2. Tim. 3. v. 16. vel per efficiaciam Spiritus, per quam Deus inhaerentem *justitiam cordibus suorum infundit*, quæ propriè *sanctificatio* dicitur. Hanc nemo reformatus negat, quinimo necessariam agnoscit in omni homine *justificato*. Sed negat tantum, confundendam esse cum *justificatione illa*, per

quam Deus nocentem absolvit à peccatis, & cum eo in gratiam redit, de qua propriè hic agitur. Cum ergo agnoscant etiam adversarii, verbum illud de quo agitur, esse forense (sunt verba Pinæda in 4. cap. Iobi) spectans ad innocentia adsolutionem, quam forensem significationem Nandanius in Epist. ad Ephel. cap. 1, pro eo quod est justum declarare, magis familiarem, & magis obviam esse facetur; Id tantum expendum, an ubi agitur de justificatione impii apud Paulum, non eo sensu accipiatur & Id perspicue demonstratur ex antithesi justificationis & condemnationis. Rom. 8.33. Deus est qui justificat, qui est qui condemnat? Quoniam autem neminem Deus justum pronuntiat, sine fundamento justitiae, questio est a iustitia quam Deus respicit in absolvendo reum cum sistitur ante ejus tribunal, sit homini iustificatio propria & inhærens, vel imputata? Posterioris illud etiam cum Paulo post Davidem dicimus, quia beatum illum David pronuntiat, cui non imputatur peccatum, id est, interprete Paulo, cui imputat iustitiam, sine operibus, Rom. 4. v. 6. 7. & 8. Vellem annotatorem, perpendere ea quæ Andreas Fliccius Modestius, quem sub finem hujus annotationis laudat, scripta reliquit in iv de Ecclesia libro, cap. xi. in quo inter alia hæc habet notanda. Illud in hac disputatione maxime considerandum, iustitiam Christianorum duplē esse, alteram in nobis, alteram

alteram extra nos. Illam dicunt inherentem, qua constet fide, spe, & charitate, omnibusque aliis virtutibus, quibus nova Christiani hominis vita astitetur, de eaque loqui Ioannem, i. Ioan. c. 3. his verbis: *Qui facit justitiam justus est; Et Iacobum, Iac. 3. cum inquit: Videtur quod ex factu justificetur homo, & non ex fide tantum.* Hancque justitiam instar aliarum qualitatum, recipere intentionem & remissionem, prout virtutes in quibus posita est, intendanter aut remittantur. quemadmodum Angelus ad Ioannem in revelationibus, Apocal. 22. inquit: *Qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur.* Verum quantumvis hac justitia intendatur, inchoata tamen censetur, non perfecta. Fragilitas enim humana non sinit eam pervenire ad perfectionem, quam requirit lex. Non igitur est hujusmodi qua mereri possimus remissionem peccatorum, ac vitam eternam, Solus igitur Christus legi satisfecit; qui peccatum non fecit, nec dolus repertus est in ore ejus. Solus preditus est justitia illa perfecta, & numerus omnibus absoluta; idque eo usque ut eam in alios transfundat, omnibusque sibi fidentibus acceptam referat, Paulo Apostolo locupletissimo teste, &c. Post varia ex eo testimonia, sic pergit. Has autoritates ideo adscribere volui, ut palam facerem, novum non esse, (ut quibusdam videtur,) nec inauditum, sanctos justitia Christiani justos, quin eam esse VNICAM qua omnia nostra imperfectio suppleatur, cuiusque commendatione, nos in Dei conspectum venire oporteat, siquidem frui velimus felicitate illa sempiterna. Neque vero

24 ANNOT. DE ANIMAD.  
dubium est, quia iustitia inhærens, hoc est generatio  
& nova vita donentur nobis, simulatque imputatur  
nobis iustitia Christi. Verum, non quia hec conjun-  
cta sunt, ideo distinguenda non sunt. Alia ratio est  
dandi, alia accipiendi. Quæ iustitia à Deo nobis im-  
putatur, eam accipimus à Deo justificante: que à  
nobis sit, eam reddimus Deo. Et paulo post: Ita-  
que, in hac iustitia, nobis à Christo imputata, nul-  
lus habendus est ad bona opera respectus. Cum enim  
ea in remissione peccatorum (ut ex verbis Davidis  
Paulus colligit, beatitudine describenda,) posita sit,  
certa esse non posset in hac operum imperfectione. Ma-  
net enim eterna maledictio eos, qui non permanerint  
in omnibus quæ scripta sunt in libro legis. Vtramque  
iustitiam nobis donari, & simul quidem donari, nemo  
est qui negat: sed fines utriusque considerandi sunt;  
cumque ea quam inhærentem vocamus, sit manca,  
imbecilla, & ex ea parte quatenus legi à nobis non  
satisfit, IMPERFECTA: Necessario faciendum  
est, ut in illa Christi iustitia QVÆ PERFEC-  
TÀ EST, omnes acquiescant, quicumque de pec-  
catorum remissione, adoptione sui in filios Dei, dona-  
tione vita aeterna, certi esse volunt. Hæc ille, qui  
ubique inculcat duplē illam iustitiam, u-  
nam imputatam, ex misericordia Dei per Je-  
sum Christum; alteram inhærentem: Illam  
perfectam, qua coram Dei judicio stamus se-  
cuti; hanc imperfectam, quæ etiam miseri-  
cordia opus habet. Huic veræ sententiæ etiam  
adhæserunt alii in regno Pontificio. De Pig-  
ghio

ghio id notum est , ut & de autoribus Antidi-dagmatis. & Enchiridii Colonensis. De Cardinali Contareno idem judicandum , qui post distinctam duplē illam justitiam , *inherentem nempe nobis* , & charitatem , quā diuina effici-mur confortes natura : *& iustitiam Christi nobis do-natam* , qua inserti sumus Christo , & induimus Chri-stum. & hac secunda sic loquitut. Hac ergo SOLA CERTA & stabili nobis annisendum est. & ob eam SOLAM credere nos iustificari coram Deo , id est iustos haberi , & esse iustos. Hic est pretiosus ille Christianorum Thesaurus. Et post alia ad rem eandem spectantia , eamque confirmantia , Credo , in-quit , satis illustratum fuisse hactenus locum de iusti-ficatione apud Deum , ultra debeamus nisi , NITI in-quam an iustitia inherentem , an iustitia Christi nobis donata & communicata. Hæc ille Tract. de justif. expurgato post Concil. Trident. edito Vene-tiis 1589 , cum variorum approbationibus. Hanc esse debere necessario sententiam om-nium Scholasticorum & recentiorum in Ec-clesia Romana Doctorum , qui dicunt , justi-tiam inherentem non reddere nos gratos Deo suapte naturâ , sed ex Dei favore & accep-tatione ; Similiter & aliorum qui censem qual-i-tatem in nobis inherentem , esse quidem veram iustitiam & sanctitatem , tamen suapte na-tura non purgare nos à peccatis , nisi acceden-te noua voluntate & favore Dei condonantis peccatum , vult Iesuita Vasques in 1.2. Tom. 2.

Disp. 222. cap. 2. velint, inquit, nolint, coguntur concedere novam imputationem meritorum Christi. Unde & alibi miratur, non solum antiquos Scholasticos, sed etiam recentiores Theologos post Concilium Trid. definitionem, tam ex ille justitiam inherenter, justis concessisse, ut ex se non habeat vim tergendi maculas peccatorum, nec eas purgare valeat, nisi favore & condonatione Dei relaxentur. In 1.2. tom. 2 Disp. 104. cap. 2. Ex quibus colligendum est quanti sit momenti hæc controversia, quæ secum trahit alias, de perfectione inhærentis justitiae, de reliquiis peccati originalis, an peccati rationem habeant? de justificatione ex bonis operibus; de eorum perfectione, & propriè dictis meritis; de certitudine justitiae & salutis, vel dubitatione, &c. Has non esse λογομαχίας de rebus non necessariis, sed de iis in quibus vertitur totius salutis cardo, agnoscent, qui præjudicio non abripiuntur, & qui in veras salutis causas sollicitius inquirent. Quamvis enim utrinque de satisfactione Christi & ejusdem meritis quibus salvamur, videatur convenire; distat tamen longè unius partis sensus à sensu alterius. Nam ii quibuscum nobis restet, volunt sanguinem & meritum Christi sive ejus obedientiam, impetrare justitiam illam inhærentem, qua' immediate justificemur, tanquam à causa proxima; ab obedientia autem Christi tanquam à causa remota, ad quam nobis non sit immediate reçurrentum, postquam justitia

tia illa inhærente habituali, & justitia operum actuali fuerimus ornati, quæ sufficiet sine respectu proprio ad meritum Christi, ut à peccatis per nos ipsos liberemur, & vitam æternam mereamur. Nos autem, quamvis agnoscamus regenerationis & sanctificationis donum, nobis fuisse per merita Christi impetratum, humiliter tamen fatemur tales in hac vita hanc justitiam, ut per se coram Dei tribunali subsisteret nequeat, & nisi immediate sub umbra Christi tanquam veri propiciatorii delitescamus, actum esse de salute nostra, quia, ut Trajectensis Adrianus, qui postea ad Papatum electus est, agnovit, In 4. de Sacr. Euchar. fol. 20. *Iugiter supra pannum bona vita, quem justitia operibus teximus, stillamus saniem diversorum criminum. Quia igitur ex eis poterit esse fiducia apud Deum, qui neminem diligit, nisi ex toto corde conversus.* Präverat Bernardus, Serm. 5. de verbis Esaiae, *Nostra, si qua est humili justitia, recta forsitan, sed NON PURA.* Prästiterit igitur, etiam si allecti simus in numerum filiorum Dei, cum Davide orare, *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur coram te omnis vivens.* Ps. 143, v. 2. Hoc etiam in praxi sentiunt, qui securè aliquando de sua justitia præsumperunt. Hic adscribam locum notandum ex Ep. Clem. ad Corint. an. 1633. è tenebris eruta, pag. 41. editionis Oxoniensis; *Καὶ ἡμεῖς οὖν Διὸς θελήματος αὐτοῦ, ἐν ταῖς Ἰησοῦ κληθέντες, διὰ οὐτῶν δικαιώμεθα,* § 3.

χρή Δικῆς τῆς ήμετέρας συφίας, η συνέσεως, η δύστη-  
βείας, η ἔργων ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρ-  
διας. αὐτὸν δικῆς πίστεως, δι ής πάντες απ' αὐ-  
τον ο παντοκράτωρ Θεός ἐδικαιώσεν. Et nos ex vo-  
luntate ejus (Dei) in Christo Iesu vocati, non per nos  
ipsoſ justificamur, neque per ſapienciam noſtrām, in-  
telligentiam, pietatem, vel opera, qua in pietate cordis  
& ſanctimonia operati ſumus, ſed per fidem, per quam  
omnipotens Deus omnes ab initio justificavit.

Videamus jam processum Annotatoris  
quem Deo preſcribit, in homine justificando;  
hoc eſt, quemadmodum ille ſenſum verbi justi-  
ficandi excogitavit, non ſolū peccata priora, quam-  
vis graviа remittendo, & imbecillitates quafdam diſ-  
ſimulando, verum etiam laudando, premium & ho-  
nores pollicendo. Ait ergo ſenſum illum ſecundum duo  
habere diſcrimina; initium notare, aut continuatio-  
nem, & virum ſapientem quadam requirere in eo  
quem ad amicitiam admittat, plura ut cum eo ami-  
citiā ſervet. Huic homini Deus ſapiens non  
erit, niſi hominum morem ſequatur in amici-  
tia contrahenda! Quæ requirunt homines in  
aliis, ipli non faciunt, ſed id ab eorum faculta-  
te expectant, quibuscum contrahunt. Aliae eſt  
Dei ratio, qui cum admittit aliquos ad amici-  
tiam, eos non admittit ſponte venientes &  
non vocatos, ſed vocat ipſe & ad amicitiam  
invitat, quos ad id dilexit priuquam diligē-  
rent. Quod ſi ab iis aliquid requirat, facit ipſe  
& operatur in eis, ut velint & perficiant, quæ  
duo

duo ab uno fonte profecta, *initium & continua-*  
*tionem* efficiunt; & qui vocatos admisit, facit  
etiam quæcumque requirit ad amicitiam il-  
lam seruandam. Credenti in Christum pro-  
mittit, quod non peribit, sed vitam æternam  
habebit Joh. 3. Id fieri non potest nisi cum  
amicitiæ Dei conservatione. Fides autem Dei  
donum est. Pergit illé, & remissionis peccato-  
rum quatuor modos comminiscitur; potuit  
eos in infinitum multiplicare, si pro ratione  
status diversi hominum, modi remissionis sunt  
multiplicandi. Remissio peccatorum, respicit  
hominem cui remittit Deus, & peccata quæ  
remittuntur. Varia possunt esse peccata, sed  
unus est remissionis modus, si Deus non impu-  
tet peccatum ad pœnam quam meretur pecca-  
tor. Est, inquit, *remissio in hoc ut Deus alicui gra-*  
*vibus criminibus involuto, ea quæ sunt ad conver-*  
*sionem necessaria non adimat: de qua agitur Luce 23.*  
*v.34.* Ibi certè petit Christus, pro iis qui eum  
crucifixerunt, ut *Pater remittat ipsis*, hoc est non  
imputet hoc peccatum ad pœnam quam me-  
rebantur, sed hic remissionis modus est uni-  
cus, quamvis variis peccatorum generibus ad-  
hibeat. Non adimere necessaria ad conver-  
sionem, non est remittere peccatum, sed non  
adimere ea quæ ad remissionem peccati sunt  
prævia. Date pœnitentiam, non est peccati re-  
missio, quamvis ad remissionem obtinendam  
præsumt. Secundus modus, quo Deus omnes  
pœnas

pœnas remittit & jus dat ad vitam æternam , non est  
 novus modus , sed remissionis gradus major .  
 Donatio juris ad vitam æternam , nō est remis-  
 sio peccati , sed consequens , ex Dei liberali gra-  
 tia . Posset enim Deus non imputare peccatum ad  
 pœnam , etiam purgare à peccato , nec tamen  
 dare vitam æternam . Idem dicendum de conser-  
 vatione juris illius . Nam conservatio juris ad vi-  
 tam , non est remissio peccati . Quartus modus ,  
 quo lapsi redditur id jus , non est remissio pec-  
 cati , sed consequens remissionis , ut dictum est  
 in præcedenti . Pro ratione peccatorum &  
 pœnarum , possunt distingui remissionis pec-  
 catorum gradus ; non confungi varii remissio-  
 nis modi . Quod spectat processum Euangelii  
 ab Annotatore institutum , est etiam in eo ali-  
 quid examine dignum . Primum , inquit , homini-  
 bus quantumvis vitiiosis non ita irasci voluit , ut non  
 prater solitum morem ad se revocaret , per eximia mi-  
 racula , præcepta & promissa Christi , perque miracula  
 discipulorum ejus . Hæc non possunt intelligi de  
 omnibus hominibus , quia non omnes revo-  
 cantur per ea omnia , sed tantum de iis qui hæc  
 viderunt , aut in prædicatione Euangeli audie-  
 verunt . Deinde , non est sufficiens enumeratio ,  
 quoniam ipsius Christi , ratione personæ &  
 officiorum , necessaria est cognitio , ac prævia  
 institutio , quæ sub miraculis , præceptis & pro-  
 missis non continetur , & partem Euangeli  
 præcipuum facit . Pergit , qui huic rationi se ac-  
 com-

*commendant, ii per fidem habitam verbo purgantur.*  
**Certè;** Deus enim fide purificavit corda eorum,  
**A&t. 15.9.** Hoc est ergo Dei opus, qui quos vult  
*se accommodare vocationi non solum vocat ver-*  
*bo, sed etiam intus movet, & fide donat, qua*  
*eorum corda purgat. Non est volentis neque*  
*currentis, sed misericordis Dei, Rom. 9.* Addit,  
*ubi ea fides ad eum devenit gradum ut sincerum parias*  
*obedientia propositum, quod esse non potest sine dile-*  
*cione Dei & proximi &c. ei qui talis est, id est fidei*  
*habet formatam, ut loquuntur Catholici, fidei, non*  
*in solo intellectu, sed in voluntate conscientem, ut*  
*Melanchthon, jam plane condonantur peccata &c.*  
*Fides quæ non patit obedientiæ propositum,*  
*non est vera fides. Hæc cum primum inge-*  
*ratur cum pœnitentia conjuncta est, quæ non*  
*potest esse sine obedientiæ proposito. Fidei*  
*formatæ & informis apud veteres Catholicos*  
*ne vestigium quidem reperitur, si de fide justi-*  
*ficante & salvifica (ut cum Augustinus appelle-*  
*tat) quæstio sit. Nulla est vera fides, sine sua*  
*forma, quæ dat esse rei. Rectè Melanchthon fi-*  
*dem illam in intellectu & voluntate colloca-*  
*vit, quamvis id Scholastici concoquere non*  
*possint. Sed si Annotator in Melanchthonis do-*  
*ctrina de justificatione & fide acquiescat, cur*  
*tot ambages querit, cur tot excogitat diverti-*  
*cula? Melanchthon constanter docuit, justifica-*  
*tionem significare remissionem peccatorum & recon-*  
*ciliationem, seu acceptationem persona ad vitam ater-*  
*nam.*

nam. Hebr. *justificare*, esse verbum forense, ut si dicam Populus Romanus *justificavit* Scipionem accusatum à Tribunis, id est absolvit & *justum* pronunciavit. Summisse ergo Paulus verbum *justificandi* ex consuetudine Hebr. sermonis, pro remissione peccatorum & reconciliatione seu acceperatione. Addit, quamquam Deus cum remittit peccata simul donet Sp. *sanctum*, inchoan-  
zem novas virtutes, tamen mentem perterrefactam pri-  
mum querere remissionem peccatorum & reconcilia-  
zionem, de qua hic angitur, de qua dimicat in veris pa-  
voribus, non disputat quæ virtutes infusa sint, quæ et si  
comitantur reconciliationem, tamen nequaquam ju-  
dicandum esse, nostram dignitatem aut munditiem  
causam esse remissionis peccatorum. De fide ait, non  
tantum esse notitiam historiæ, sed fiduciam mi-  
sericordiæ promissæ propter filium Dei. Hanc  
misericordiam fide apprehendi; Est, inquit,  
hec vera definitio fidei: *Fides est assentiri universo ver-  
bo Dei nobis proposito, adeoque & promissi gratui-  
tae reconciliationis donata propter Christum Mediato-  
rem, estque fiducia misericordia Dei promissa pro-  
pter Christum mediatorem.* Nam fiducia est motus in  
voluntate, necessario respondens assensioni, seu quo vo-  
luntas in Christo acquiescit, quod cum sit acceditur  
Sp. *sancto*, & nova luce. Hæc Melanchthon in lo-  
cis comm. anni 1543. loco de gratia & justifi-  
catione. Cui si consentiat Annotator, nihil  
habet quod à nobis requirat. Id tantum per-  
suadeat suis Catholicis, & in hoc articulo coi-  
bunt dextræ. Quod ait jus vitæ æternæ reti-  
nendum

nendum requiri piam & jugem operationem &c. si id intelligat de causa juris illius, verum non est. Si hæc requirat, tanquam viam ad possessionem juris illius, verum est, nec abnui-  
mus. Sed jus illud à Deo datur & conservatur  
in omnibus verè credentibus, in quibus inge-  
nerat studium pietatis & bonorum operum,  
quæ sunt occultæ prædestinationis indicia, fu-  
turæ fœlicitatis præfigia, via ad regnum, non  
causæ regnandi.

Iustificationis vocem quod *ambiguam* dicit, idem dici potest de sanctificatione, quam ei vult substitui. Imò multo magis ambigua est. Nam *sanc̄ti* vocantur, *sanc̄tissimi*, imo *sanc̄titas* ipsa, qui vitiis omnibus sunt inquinatissimi. Aliud est justificatio, aliud sanctificatio; nec sanctificatio in scriptura, pro remissione pec-  
catorum accipitur, sed pro novis qualitatibus eorum quibus peccata remissa sunt. Sanctita-  
tem in animo esse posse per Dei gratiam sine piis operibus, falsum est. Nam Charitas & ti-  
mor Dei, non sunt tantum in homine tan-  
quam habitus, sed actus suos habent internos, in quibus maximè consistunt bona opera. Gra-  
tiam autem quomodo descriperit, anteà vidi-  
mus. Per opera servari Dei in homines favorem, in-  
verso ordine dicitur, cum potius per favorem Dei, servetur in homine sanctitas cum bonis operibus; quæ opera Dei favore & misericor-  
dia opus habent, quia non sunt perfecta. Id

C

agnoscit

agnoscit Cassander, iustitiam quam inhærentem appellant, quam imperfectam & inchoatam Protestantes vocant, aliqua ratione talem esse, si in se consideretur, & ad severitatem divinae legis expendatur: quæ tamen rursum perfecta est, hoc est Deo grata & accepta, si ex fide & gratia Dei astimetur, cum ejus imperfectio propter Christum per fidem in nobis inhabitans non imputetur.

Vbi est imperfectio iustitiae & operum debitorum, ibi nulla meriti ratio propria potest haberi. Si merces talibus operibus promittatur & detur, non est merces ex debito, sed ex gratia, & liberalitate donantis. Neque etiam si meritum tantum dicature ex pacto; quia nemo perfectè illud pactum servat: ut merito agnoverit Gregorius Romanus, lib. ix. Expos. in Iob. cap. 11. Omnem humanam iustitiam, iniustitiam esse convinci, si districte judicetur; prece ergo post iustitiam indigere, ut qua succumbere discussa poterat, ex judicio pietate convalescat. Et lib. xvii. cap. 10. Singulorum benè viventium mentes, à peccatorum maculis mundæ non sunt, si remota pietate iudicentur, quia apud districti iudicis oculos sua unumquemque corruptibilis inquinat, nisi hunc quotidie gratia parcentis terget. Hic si quis quærat merita, nihil reperiet nisi meritum mortis, si misericordia non subveniat. Loquitur autem Gregorius de operibus non quæ fiunt ex nativis hominum viribus, sed de operibus quæ fiunt ex gratia. In quo statu, electorum animus prodire ad libertatem iustitiae nascitur,

*tur, sed adhuc compede infirmitatis tenetur, ut ait ibidem Gregorius. qui sicalibi concludit: Si ad opus virtutis excrevero, ad vitam NON EX MERITIS, sed ex VENIA, convalesco. Moral. lib. ix. cap. 14. Si quis plura de meritis desiderat legat Rever. Mortoni Dunel. Episc. Antidotum contra venenum meriti ex condigno, & Rever. Davenantii Sarisb. Episc. disputationem doctiss. de iustitia actuali. Item quæ scripsimus, ad Guil. Bailii Catech. part. 4. quæst. 17.*

*Quod spectat formulam, in quam consenserunt collocutores Ratisbonenses, & quam Cassander probat, eam non improbamus; nempe quod fides viva apprehendit misericordiam Dei in Christo, & credit iustitiam quæ est in Christo sibi gratis imputari: & qua simul pollicitationem Sp. sancti & charitatem accipit, & sic qui iustificatur iustitiam accipit, & habet per Christum etiam inherenter, sicut dicit Apostolus, Abluti estis, sanctificati estis, iustificati, estis: tamen anima fidelis huic non innititur, sed soli Christi iustitia nobis donata. Si hæc laudanda sit in hoc argumēto loquendi formula, nihil est quod non debeat probari, in Articulis XVIII. & XXII. confessionis Ecclesiarum Galliæ; quibus profitentur, omni virtutum & meritorum opinione abjecta, in sola Iesu Christi obedientia se prorsus acquiescere, quæ quidem nobis imputatur, cum ut tegantur omnia peccata nostra, cum etiam ut gratiam coram Deo nanciscamur. In eo constituunt nostram justificationem. Sed credunt etiam, nos qui natura servi*

*servis sumus peccati, hac eadem fide intercedente in novā vitam regenerari. Recipere autem per fidem, hanc sancte vivendi gratiam, dum promissionem illam Euangelii amplectimur, quod datus sit nobis Sp. sanctum Dominus. Tantum igitur abesse, ut bene vivendi studium fides extinguat, ut etiam illud cieat & inflammet in nobis, unde bona opera necessario consequuntur. Sic Calvinus Antidoto ad Concil. Trident. acta, ad sess. vi. cap. 6. Non negandum est quin perpetuò conjuncta sint & coherent due istae res, sanctificatio & justificatio; sed perperam inde infertur unam & eadem esse. Fatalemur, simulatque justificatur quispiam, necessario innovationem quoque sequi. Neque vero ambigitur, an sanctificet Christus nec ne, quoscumque justificat. Hoc enim esset lacerare Euangelium, adeoque Christum ipsum decerpere, si quis justitiam quam fide consequimur, separare velit à pœnitentia. Hæc ille.*

Quod adnectit Annotator de *Sola fide*, de qua in quæst. de justif. testimonia producit Cassander, illud interpretatur, *quomodo*, inquit, *fides distinguitur à iugi operatione*. Certè, quomodo opponitur omni operationi, sive cuilibet operi cui justificatio adscriberetur. Volunt enim, quod vult Scriptura, solam fidem in Dei misericordiam justificare, non qua est opus, cui justificatio debeatur vel ex congruo vel ex condigno, sed qua est unicum instrumentum, quo percipimus justitiam nobis in Christo donatam per remissionem peccatorum. Quæ ex Ambro-

Ambrosio & Augustino citantur, nescio quorum tendant. Certè scopum non attingunt, aut contrarium dicunt ejus quod Annotator vult inde elicere, maximè cum Ambrosius dicat, *Fidem esse quæ liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille cui peccatum remittitur, & venia donatur.* Cassander ingenuè & verè agnoscit, sola fide justificari, idem esse, quod sola gratia Dei, non ex operibus justificari; inculcandum autem populis, fidem, tametsi solam justificare, solam tamen esse non posse, quod sedulo faciunt omnes reformati. Sic etiam Modrevius, *Cum loquor de sola fide, non opera excludo à fide; quæ si vera sit sine illis esse non potest: sed tum dignitatem operum quæ nulla est, vel non talis est qualem requirit lex, tum vero respectum ad ipsa opera.* De Eccles. l. 2. Tract. 2. Idem lib. 4. in Apologia post tractatum de justificatione, pro eodem habet *Sola fide justificari, & justificari per gratiam sine operibus:* citatque Isidorum Clarium Brixianum, ad Pauli verba, *ei qui non operatur, Hunc, inquit, Pauli locum facilius intelliges, si quod dicitur ex fide, & quod dicitur secundum gratiam idem esse cogites.* Videatur Chamierus de Iustif. lib. 22. cap. 5. & quæ scripsimus Cathol. Orth. Tract. iv. Quæst. 10. ubi hanc quæstionem ex professo tractamus. vide etiam Melanchthonem, in Apologia Confess. August. *Quod remissionem peccatorum sola fide consequamur;* & in locis communibus Articul. de justificatione.

Scholasticos iis præparationibus quæ conversionem antecedunt dare nomen *meriti* sed *impropriè*, de quibusdam verum est, non de omnibus. Addo non *impropriè* solum, sed falso & perniciosè. *Liquere id ex Ambroſio*, ait, citatque locum ex libro *de vocatione gentium*, qui Ambrosii non est: nec de præparationibus tantum loquitur, sed de toto justificationis progressu, quem *meritis præcedentibus* jure denegat, quia nulla sunt. Ad primam remissionem peccatorum non requiri conditionem, verum non est, quia non remittitur peccatum adulto, nisi pœnitenti & credenti. Sed verum est, ubi conditio requiritur, remissionem peccatorum non venire sub nomine mercedis, quia de ea re contrahi non solet. Cum autem tota justificatio in remissione peccatorum, & justitiae imputatione consistat, frustra sunt qui hic merita somniant, sive ad primam remissionem, sive ad secundam vel tertiam, aut millesimam.

Ad ea quæ Cassander habet de certitudine propriæ salutis adnotantur nonnulla animadversione digna. Agnoscit veteres in hoc loco inter spem & fidem non multum distinxisse, citatque ex Hilario hæc verba Can. 6. in Mat. Ergo regnum cœlorum quod prophetæ prædicarunt, Dominus noster in se possum esse confessus est, vult absque aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari: alioqui justificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fuit ambigua. Addit Cassander, neminem esse Ecclesiasticorum, nec è Scholasticis

sticis quidem, qui non hanc fiduciam & certitudinem de gratia & misericordia Dei, & glorificatione futura diligenter urgeat, & dubitationi & diffidentiae opponendam doceat. Quam hoc velim esse verum! Sed audiamus quid hic Annotator considerandum duxerit. Cassander de utroque statu dixerat tam de certitudine gratiae, quam de certitudine gloriae. Hoc non placuit Annotatori. De praesenti statu dari posse certitudinem ex veteribus & recentioribus fatetur, nonnullosque citat in eam sententiam, veteresque hanc certitudinem sic explicare ut excludant dubitationem. Inter recentiores citat Hosium, & Antonium, Marianum. Intellexit Antonium Marinarium Carmelitam, in Oratione habita, ad Patres Tridentinos, Domin. 4. in quadrag. anno 1546. quæ extat in Actis Concil Trident. excusis Lovanii 1567. apud Petrum Zangrium, quæ certè digna est quæ attente legatur. Hanc adortus est verbis ad eam rem de qua agitur efficacissimis. In universis, inquit, vita actionibus, Evangelica fides, quæ summa est sincera pietatis, & absolutæ obedientie fundamentum, cum primis exercenda est, ac solidè possidenda, nimirum ut homo, ab inani propria dignitatis confidentia abhorrens, omnino à Dei misericordia pendeat, statuatque Deum, ut clementissimum patrem sibi adesse, à quo lata semper expectet & felicitissima, ut nunquam patiatur ex ejus animo, persuationem illam excuti, eis duris ac infinitis vexetur difficultibus, quas mundus, quas caro, quas Satan, ut sunt

*in nostri perniciem conjurati duces hinc atque illinc procurant, ut nos à Dei fiducia ejusdemque obsequio abducant religiosissimo. Et postea. Quanquam à nobis, ut à genuinis filiis obedientiam Deum exquirit, quam summis etiam compensat premiis, quemadmodum & pœnis horribilibus punit concumacias, nos tamen, quod ad nostram spectat humilitatem, operum nostrorum nostraque dignitatis gloriam à cordibus nostris abdicare debemus, nihil in nobis propria virtute esse existimantes, quo ad misericordiam Deus commoveatur, nisi nostram inenarrabilem miseriam; cum enim clementia divina peccatum nostrum patet, cum resipiscentes, omni prorsus propriæ dignitatis opinione vacui sumus: Nam & in ipsis renatis peccati incendium longè majus est, quam ut cogitatione comprehendendi possit; hoc unum maximè est animadventendum, si te erigis ô homo, Deus statim te dejicit. Si te dejicis, ipse erigit. Post alia multa ad humilitatem facientia, de salutis certitudine hæc habet: Est hoc veræ fidei ingenium, nos in Deum ut filios in patrem erigere, Christum nostrum, vel nos vicissim Christi facere, ut cum eo unum corpus simus, eodemque vivamus, regamur, letemur, & gloriemur Spiritu. Quamobrem in dubitationis labyrintho non errant, qui per Christum adepti sunt justitiam. Sed in securitate mentis, in pace conscientiae, in latitia cordis, edocti Spiritu illo, qui ius testimonium reddit, quod sunt filii Dei, audent dicere Abba pater. Hæc sunt pleniora verba, quorum particulam tantum expressit annotator. Quod autem*

tem addit, non malè facere qui unumquemque admonent, ne id temere de se credat, sed post diligens examen, maximè probamus: dummodo constet quod ex Tappero laudat, signa gratie aliquid tam aperta esse, ut nulla formido, nulla dubitatio sit conjuncta hujusmodi cognitioni, & præcipuum unicuique signum sit, si Sp. sancti testimonium in se sentiat.

Ait de futuro, magis dari bonam spem, quam certitudinem, qualis est in honesta matrona quæ semper casta fuerit, etiam in posterum talis esse vult, & futuram confidit, ideoque non metuit auxiè ne se maritus repudiet. Certè si homo suis viribus fidat, quomodo honesta illa matrona, nec aliunde expectet perseverantiam finalem, non firmum habebit spei suæ fundamentum. Sed est spes quædam quæ non confundit, & confirmata fiduciam parit, & certitudinem indubiam. Rectè Marinarius: Qui suis operibus fidunt, dæ divina erga se bonitate dubitare solent, & per intervalla & vices, hoc atque illuc alternando fluctuare, ut nunquam eis portus, nunquam fide stationis spes appareat, facileque ad desperationem in gravibus periculis infeliciissima ratione tendunt. qui autem suis diffisi viribus, suorumque operum rejecta fiducia, in Dei benignitate & clementia conquiescunt, nec cogitare V N Q V A M possunt, sese à Deo esse rejectos illumque præstaturum non esse, quod eis pro sua misericordia promisit. Hæc pertinent ad certitudinem de futuro. Utramque August. conjungit loco

citato ex Psal. cxlix, *Est modus gloriandi in conscientia, ut noveris fidem tuam esse sinceram: spem tuam esse certam.* Fatemur sollicitudinem & cautionem hanc spem non excludere; Sufficit si dubitationem excludat, cum in Deum recumbit. Quod ait Bernardus, *nos certitudinem non habere, sed spes fiduciam nos consolari*, intelligi debet de certitudine evidenti & intuitionis, quia nondum possidemus. Alioqui *fiducia consolatio*, non potest esse sine certa fide. Qui volunt universos fideles certos esse posse suæ prædestinationis, non quidem à priori, quasi Del consilium immediate penetrassent, sed à posteriori, per occultæ prædestinationis indicia, & præser-tim per Spiritus in corde adoptionem obsignantis testimonium; non labuntur, sed fir-mi stant, &c, ut cum Marinario loquar, *si cœlum ruat, si terra evanescat, si orbis illabatur præceps, in eum ericti erunt: si Angelus è cœlo aliud eis persuadere contendat, dicent ei Anathema.* O fælicem Christiani pectoris fiduciam! Timorem & tremorem, cum Apostolo probamus, non dubitationem & diffidentiam. Si non sunt spernenda qua de hoc argumento scripsit Andreas Friccius Modrevius, lib. ii. de Ecclesia, velitque Annotator ejus stare judicio, facile inter nos transi-getur: maximè si velit subscribere Capiti iii, ubi *confirmat certitudinem peccatorum remissionis, & salutis æterne*, & cap. v. ubi reprehendit Magistros dubitationis. De Marci Antonii de Dominis

minis super eo sententia , parum sumus solliciti. Fuit pessimus Magister certitudinis, qui per inconstantiam suam ostendit , se nihil unquam certi de rebus religionis credidisse , certus Vertumnus, incertus Christianus: cuius qui sequetur vestigia, certo & indubitato est aberratus. Videat qui plura velit , quæ scripsimus Cathol. Orth. tractat . i v. quæst. xvi.

---

## AD ARTICULUM V.

**B**E NE monet Cassander in libris Noui Testamenti semper Spiritum sanctum poni post fidem. Nam in loco 1. Corint. XII. 9. fides ponitur non pro ea quæ omnibus necessaria est , sed pro dono quodam mirifico'. Neque tamen hoc impedit quominus fides sit donum Dei , eam in nobis operantis. Sed solet Scriptura Trinitatis opera ita dispensare , ut prima tractio tribuatur Patri , institutio ad fidem Filio , obsignatio post fidem Spiritui sancto. Errant autem qui Sacra menta esse putant signa tantum acceptæ gratiæ , non etiam instrumenta per quæ Deus operatur. Voluit enim Deus per Sacra menta dare & augere gratiam , ut honoraret Ecclesiam cui tradita sunt Sacra menta , & nos hoc ipso adigeret ad nos ipsi Ecclesiæ concorporandos. Requiritur quidem in adultis dispositio quædam , ut dicitur in Missa , *quorum tibi fides cognita est & nota deuotio*: verum efficacia non istis dispositionibus tribui solet , sed Deo: & hoc est quod dicitur ex opere operato. In hac re bene processit Conciliatura Ratisbonensis : & infra de ea aget Cassander ad artic. y IIII.

AN-

## ANIMADVERSIO.

**D**UO sunt in quibus Cassander existimat Confessionem Augustanam in explicacione efficaciae Ministerii impropriè fuisse locutam, aut obscurè. Vnum, quod dixerit *per verbum & sacramenta dari Sp. sanctum, qui fidem efficiat*. Alterum majoris momenti, quod non addiderit externi verbi ministerium quamvis necessarium, inutile esse, nisi Pater intus per unctionem Spiritus doceat. Primum illud probat & confirmare conatur annotator, in libris novi Test. semper Sp. sanctum ponit post fidem, quod de fide salvifica, non pro dono quodam mirifico intelligendum esse propter locum 1. Corint. 12. v. 9. notat. At hæc est pura λογομαχία. si enim Pater intus per unctionem Spiritus doceat, an poterit aliquis fidem ex auditu concipere, sine illa Sp. unctione? Si nemo potest dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum sanctum, 1. Corint. 12. 3. an poterit aliquis credere Iesum esse servatorem suum, sine Sp. sancto? Quod si intelligent per Sp. sanctum, habitus illos qui in homine novo formantur, verum quidem est tales habitus qui ad regenerationem & sanctificationem pertinent, dari post actum illum fidei, quo in Christum primo credimus: Sed nihil obstat, quominus actus illius credendi Sp. sanctus sit autor. Agnoscimus, scripturam Trinitatis opera alioquin indivisa, distribuere inter

inter Patrem , Filium & Sp. sanctum. Sed institutionem ad fidem tribui Filio , ita ut non tribuatur Sp. sancto probare non possumus, cum ipse Filius promiserit Spiritum Apostolis , qui eos doceret omnia . Ioan. 14. v. 26. Qui auscultant veritati , illi auscultant per Spiritum.

2. Petr. 1. v. 22. Voluisse Deum per sacramenta dare & augere gratiam agnoscimus , ita tamen ut gratia Dei non sit Sacramentis alligata , cuius aliqui effectus præveniunt sæpè Sacramentorum participationem, quod in familia Centurionis contigit , Actor. c. 10. v. 47. Quod si Deus voluit per sacramenta honorare Ecclesiam & nos adigere ad nos ipsi Ecclesia incorporandos : mirum est quod annotator libellum scripsit in quo probare conatur, non esse semper communicandum per Symbola. Si, quod ille vult , talis sit Symbolorum natura ( loquitur autem de Sacramentis , ) ut facile ex causa probabili omitti se ferant , quomodo ea potest agnoscere tanquam instrumenta per quæ Deus operatur? Dispositionem in adultis requiri ad Sacramentorum participationem verum est ; efficaciam non tribui debere istis dispositionibus præviis , etiam agnoscimus ; ita tamen ut in percipiente sine dispositione prævia , sacramenti per se ad salutem instituti , efficacia impediatur , quia Deus autor illius efficaciaz ab ea profanos arcet. Quod autem dicit hoc esse quod dicitur ex opere operato , quod efficacia tribui solet Deo,

non

non convenit explicationi eorum qui post Innocentium, barbarum illum loquendi modum in Ecclesia per mille ducentos annos incognitum, usurparunt; quo intelligunt, *Sacramenta esse veras causas gratia*, quatenus habent rationem entis, quodam modo naturaliter operantis, abstrahendo ab omni dignitate conferentis, & merita suscipientis. Sic enim illud explicant, qui veterum de eo Scholasticorum opiniones conciliant. At hoc non est efficaciam Sacramentorum tribuere Deo immediatè, quemadmodum non tribuitur Deo immediatè effectus cibi aut medicinæ. Si in ea re bene processit Conciliatura Ratisbonensis, certè non benè procedunt, qui hanc ejus Sacramentorum descriptionem non approbant, quod sint certa & efficacia signa voluntatis & gratia Dei erga nos, & proinde non signa, ut tantum signent, sed ut sanctificant, & nos de accepta gratia certos efficiant: neque in nobis fidem excitent, & ad mutuam dilectionem, sanctos & Christianos mores, provocent & hortentur. In eo nondum acquieverunt, qui in Papatu de Sacramentis disputant. Certè Gallica reformatorum confessio expressè dicit, *talia esse signa hac exteriora, ut Deus per illa sancti sui Spiritus virtute, operetur, ne quicquam ibi frustrà nobis significetur.*

## AD ARTICULUM VI.

**B**ENE hic articulus Confessionis Augustanæ vocem merendi de operibus per gratiam factis usurpat. Bene quoque ponit primam justificationem, sive per eam intelligere velis conversionem, sive remissionem, contingere ante tractum piorum operum. Neque id impedit quominus justificatio, sive ponatur pro incremento sanctitatis, sive etiam pro continuatione diuini fauoris, dicatur fieri per opera, id est operum conditionem ad id requiri, ut ad Jacobum diximus. Meriti autem vox in hoc sensu gratiam non destruit, sed presupponit, idque dupli modo, siue aptitudinem respicias, siue jus quæsitum, ut jam ante diximus. In operibus destitutorum Gratia nihil est meriti: ne in operibus piorum quidem, si nudè in se specentur, ut rectè docet Costerus & convenienter Synodo Tridentinæ, cuius hoc dictum est sessione vi. 16.

*Atque ideo bene operantibus usque in finem & in Deo sperantibus proponenda est vita eterna, & tanquam Gratia filius Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsis Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Deinde: Absit tamen ut Christianus homo in seipso vel confidas vel glorieatur, & non in Domino: cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, qua sunt ipsius dona. Et Canone xxvi. damnantur qui dicunt justos non debere pro bonis operibus quæ in Deo fuerunt facta, expectare & sperare æternam retributionem à Deo per ejus misericordiam & Iesu Christi meritum. Melanchthon in locis communibus. In reconciliatis postea bona opera cum placeant fide proper Mediatorum, merentur præmia spiritualia & corporalia in hac vita & post hanc vitam, sicut clare ostendit parabola de negotiantibus. Habenti dabitur. & 1. Tim. iv. dicitur pietas habere præmissionem præsentis & futura vita.*

vita. Marci x. recipient centuplum in hac vita, sed cum tribulatione, & post hanc vitam, vitam aeternam. Mat. x. qui dederit potum unius ex minimis propter doctrinam, non perdet mercedem suam. Lucæ vi. date & dabitur vobis. Cur autem cum de remissione agitur ad misericordiam Dei nos semper respicere velint veteres, jam antè diximus.

## A N I M A D V E R S I O .

**I**N hoc articulo apud Cassandra multa sunt, in quibus hallucinatur, nonnulla, in quibus non incommode loquitur. Sed quia Cassandra examinandum non suscepimus, qui neutri haec tenus parti placuit; hic videbimus tantum, an MERITVM bonorum operum, eo sensu à Confessione Augustana aut à Melanchthonie fuerit usurpatum, quo nunc apud Pontificios obtruditur. Agitur de *merito* quod vocant *de condigno*, quod etiā variè definiunt, nec de ejus natura inter omnes conueniat, volunt tamen omnes esse *meritum* propriè dictum, de quo etiam Concilium Tridentinum, quod Anathema pronunciat in eos qui dicunt justificatum bonis suis operibus non VERE mereri vitam aeternam. Sess. 6, can. 22. Bell. illud V E R E , explicat pcc PRO- P R I E lib. 5. de justif. cap. 16. &c. 17. Vasquez perfectè. Nostra, inquit, merita, ita PERFECTE meritoria sunt vita aeterna, ut nullum habeamus defectum, ob quem denegetur illis vita aeterna, aut dignè denegari possit. In 1, 2<sup>a</sup> Tom. 2. disp. 222. num. 30.

num. 30. Tale meritum , neque Augustana Confessio agnovit, neq; Melanchthon in locis communibus intellexit. *Uſus est quidem verbo merendi & nomine meriti; sed pro operibus justificatorum , sive reconciliatorum , que , ut Melanchthon loquitur, quantumvis exigua, premiuſ multo majoribus ornantur , quam pro debito.* Ut necesse sit omnes sanctos fareri idem quod Iacob , Minor sum omnibus miserationibus tuis. Hoc sensu vox meriti usurpata , posset tolerari. Sed recte Chemnitius, in expl. locorum Melanchthonis De bonis operibus: *Appellatio meriti , est usus a patribus : & nominant meritum , opus mandatum à Deo, factum à renatis in fide , quod habeat promissio- nes sive in hac , sive in altera vita. Sed propter abu- sum , & propter insidias , & denique quia est vox ἀχεαφος , non usurpatur à sincera doctrina studiosis.* Audiatur ipse Melanchthon, Non est vita aeterna merces , quia opera sufficient , quia debeat pro ope- ribus , sed consecutivè , quia cum per aliam causam contigit , compensat opera & afflictiones. Hæc ille in Apolog. Confel. August. Et alibi, *Satis appa- ret etiam ante hac tempora , piis vocabulum meriti multos scrupulos injecisse , ideo erumpit Bernardus in hanc vocem , sufficit ad meritum scire quod non suffi- ciat meritum.* Dominica Septuagesimæ. Vbi plura alia contra meritum condigni. Andreas Friccius Modrevius susceperebat conciliationem controversiæ de merito, & quamvis à voce illa non abhorret, condignitatem nihilominus

D

aperte

apertè negabat tanquam doctrinæ Pauli contrariam. Quomodo hoc nomine exceptus fuerit à præsulibus, narrat ipse in defensione sententiaæ suæ de meritis operum, p. 647. *Ira- scuntur*, inquit, *quod Pauli sententiam*, *qua condi- gnitatem operibus nostris detrabit*, *probabilem facere voluerim*. *Vtrum igitur melius, tueri vel probabiliter, sententiam Paulinam*, *an contra eam differere quod vos facitis?* Andreas Vega Opusculo de meri- tis, quæst. 4. pag. 782. refert de Thoma Val- densi, quod scripsit, illum esse saniores Theolo- gum, fideliores Catholicum, & sacris scripturis ma- gis consentientem, qui merita **S I M P L I C I T E R A B N E G A T:** & cum modificatione Apostoli & scri- pturarum agnoscit, quod simpliciter nemo meretur re- gnum cœlorum, sed ex gratia Dei & voluntate largi- toris. Loquitur autem de operibus justificato- rum. Patientur ergo nos esse saniores Theologos, & fideliores Catholicos. Plura videat cui vacat apud doctiss. Episcopos Anglos, Thomam Mortonum in Antidoto contra merita, & Ioan. Davenantium in lib. de *Institutio actualis*, c. LIII. & seqq.

## AD ARTICULUM VII.

**B**ENE ad discernendam Ecclesiam ab hæreticis con- uentibus Augustana Confessio dixit in Ecclesia esse puram & sanam Euangeli doctrinam cum vsu sacra- mentorum. Sed non minus bene Cassander ad eandem Ecclesiam discernendam à Schismaticis addidit *vni- tem,*

tem, ex Christi ipsius dicto Ioan. xiii. 35. Hæc unitas non animo tantum retinenda est, sed & sacramentorum communione, quatenus fieri potest. Id vero fieri non potest, nisi plebs præpositis obsequatur. Est enim Ecclesia corpus quoddam, & proinde juncturis quibusdam compaginatum, Ephes. iv. 16. Hæc juncturæ sunt Episcopi in parte minore, in majore Metropolitæ, aut ut in Africa Episcorum seniores: in parte adhuc majore ~~Ægypti~~ five Primates, quales illi Carthaginæ & alibi: rursum in majore alia Patriarchæ: & in toto corpore is qui princeps est Patriarcharum Episcopus Romanæ virbis: quæ omnia conformata sunt ad exemplar Principatus ejus quem Petrus instituto Christi habuit in Apostolos. Unitas enim Antistitis optimum aduersus schismata est remedium, quod & Christus monstrauit, & comprobauit experientia. Hanc principatus in Episcopo Romano utilitatem ingenue agnouere Melanchthon multis locis, Jacobus Rex Britannæ, multique in Protestantibus viri eruditи. Objicitur fieri posse ut Papa in jura Episcorum, imd & Regum, involet. Fieri hoc posse verum est, & factum apparet, maxime ex quo laceratio contigit Imperii Romani in plures reges. Id ubi evenit, in eis quæ sunt contra statum publicum, aut canones receptos, obediendum non est: sed non ob id negari debet, ut à multis factum est, principatus illius utilitas, aut etiam obedientia subtrahenda in iis quæ canonibus congruunt & statum non laedunt. Hoc si cogitassent Protestantium multi, Ecclesiam jam haberemus & indivulsam & emendatiorem. Hoc fecere Afri Episcopi cum de appellationibus disputaretur, hoc Imperatores multi, & auorum memoriâ Carolus V. Imperator. Vbi tales incident controversiæ, penes utrosque sit causa schismatis, aut etiam an penes utrosque, facile judicabunt pii & eruditи: & si res valde sit dubia, Concilium vniuersale, regibus id quod suæ potestatis est contribuentibus. Dignissima sunt lectu quæ de concor-

dia regni & sacerdotii scripsit vir egregius Præses à Marca, Principatus in Ecclesiæ partibus minoribus & majoribus à Deo est. Hos Principes Angelos vocat Apocalypsis, quomodo à Malachia vocati fuerant sacerdotum Hebræorum principes. Quod autem summus ille a pœx Romæ collocatus est, id venit ex consensu vniuersitatis Ecclesiæ, honorantis duorum maximorum Apostolorum memoriam, & eorum exemplo edocet non esse locum spargendo Euangeliō in omnes partes terrarum, & retinendæ compagi magis idoneum. Quod verò ait in hoc capite Augustana Confessio, non necesse esse ubique similes esse traditiones seu ritus ab hominibus institutos, verum est aliquatenus, & epistolæ Irenæi ad Victorem Episcopum Romanum, & Athanasio de Synodos, & Chrysostomo de iis qui Pascha anticipant, convenit. Et hoc sequuntur qui Græcos, Armenios, Maronitas cum magna rituum diversitate ad suam communionem recipiunt. Veruntamen adstrictio hic quædam adhibenda est. Multa enim Apostoli aut instituerant, aut approbauerant, ut regimen Ecclesiæ, synodos, excommunicationis & absolutionis regulas, quæ præscribi ideo necesse non fuit, quod palam invsum Ecclesiæ introducta eo ipso satis non essent, & obiter interdum ea subinnui magis ex occasione, quam fuse explicari in epistolis sufficeret, cum par esset eorum quæ dixerant quæque scriperant Apostoli, auctoritas. II. Thess. II. 2. & 15. Sunt & alia quæ primum in usu fuere vario, sed posteà ad ejusdemmodi observationem redacta sunt, sive consensu Concilii universalis, ut Nicæni primi in re Paschatis, sive Moribus, ut in jejunio Quadragesimæ, aliisque rebus nonnullis. Cum autem hæc parilitas quocumque modo introducta, ut recte notavit Melanchthon, ornet Ecclesiam, unitatem testetur atque conservet, & lædat neminem, ab ea recedere non est hominis socialis, nedum spiritum Christi habentis: imo, si Augustino credimus, est hoc insolens.

solentissimæ insanæ. Neque huc adferenda sunt quæ dicunt Apostoli de onere rituum abolio. Illi enim ritus à Moïse præscripti numero erant valde multi, à singulis non publicè tantum, sed & priuatim obseruandi, molesti præterea ac sumtuosi, à quibus gentes semper libertæ fuerant, & quibus ipsas onerari tum in fructuosum fuisset, tum obstituisse processui doctrinæ Euangelicæ, cum illi ritus de quibus per vniuersam Ecclesiam, siue ab initio siue postea convenerit, sint pauci, faciles & ad pietatem utiles. Quid si Apostoli ab omnibus seruari voluerent præceptum de non edendo sanguine, quia à Noë temporibus valuerat non apud Judæos tantum, sed & apud alios Deum timentes, & ad conciliandos magis cum Gentibus Judæos pertinebat; quid est, quod non ad hoc exemplum in rebus talibus pacis causa ferre debeamus? Neque haec sunt humana dogmata quæ Christus damnat. Agit enim ibi Christus, ut ad eum locum diximus, de præceptis cum diuina lege pugnantibus, aut fundamentum habentibus in persuasione plane falsa atque noxia, aut de aliis etiam quatentis ea præceptis morum præferebantur, aut certe æquabantur. Namque ubi πάπερον fit ἔργον, solet ἔργον haberi in πάπερον λόγῳ. quod diligenter cavendum est. Præterea sciendum est leges tam Ecclesiasticas quam civiles ferri secundum id quod pluribus expedit, ac propter hoc ipsum in applicatione ad singulos requiri, modò ~~enarratione~~, modò laxamenti aliquid.

## ANIMA DIVERSIO.

**A**D discernendam Ecclesiam à Schismatis unitatem requiri ex Christi dicto Ioan. cap. 13. v. 35. nemo Christianus negare debet. Vnitas illa à Christo commendata, in charitate & dilectione consistit. Ex hoc omnes cor-

**D 3** gnoscunt

gnoscent vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii in altis. Et hæc quæ in animo præcipue resideret, dignoscitur per opera & officia charitatis. Ad quam unitatis speciem si quis respiciat, Ecclesia illa quæ se Vnam, Sanctam, & Catholica profitetur, neque una erit, neque sancta, neque Catholica. Unitatem non in animo tantum esse retinendam, sed & sacramentorum communione, quantum fieri potest, agnoscimus. Sed quid impulit annotatorem ut tamdiu abstineret à sacramentorum communione, & eam nona semper necessariam esse peculiari libello in eam rem edito, conaretur probare, si hic serio loquatur? Id autem fieri non posse, nisi plebs præpositis obsequatur, verum esse agnoscimus. Sed libenter ab eo inquirerem an sit ille ex numero præpositorum, vel unus ex iis quos laicos vocant? Prinus, credo, non est dicturus. Si sit, ex plebe, quinam ejus sunt præpositi, & cui Ecclesiæ compaginatus est? Hactenus enim inter individua vaga videtur se continuisse. Qui nulli est addicetus Ecclesiæ per communicationem sacramentorum & obedientiam præpositis præstitam, an satis aptus erit ad ea persuadenda aliis à quibus abstinet ipse? Jam quid hoc est quod tam audacter asserit, has junduras de quibus agit Apost. Ephes. 4. v. 16. esse Episcopos, Metropolitas, primates &c? Audiamus Paulum; Ait institutum fuisse Ministerium à Christo ad adificationem corporis Christi &c.

ut ne simus amplius sicut pueri, qui fluctuemus & circumferamur quavis vento doctrina, (quod haec tenus accidit annotatori,) sed sincerè nos gerentes in Charitate, prorsus adolescamus in eum qui est caput, nempe Christus, ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes suffuditas commissuras ex vi intus agente, pro mensura uniuscujusque membra, incrementum capit corpori conveniens, ad sui ipsius extrictionem in charitate. Hujus corporis mystici Christum esse caput apparet; Membra omnia Christo coadunari per vim intus agentem, & extrui in charitate certum est. Vnde etiam apparet hic agi de eo Christi corpore cuius omnia membra viva sunt & talia permanent, & de unione eorum prorsus spirituali, ad quam non pertinent multi ex iis qui ministerio in Ecclesia funguntur, qui per verbi prædicationem & Sacramentorum administrationem, huic ædificationi & compagationi inserviunt, sed neque ipsi sunt coadunati Christo, nec possunt esse junctura illius corporis, cui non sunt juncti perfectionis vinculo.

Mirum autem est quid viro doctissimo in mentem venerit, & quo præjudicio abreptus ausus sit dicere, Hierarchiam illam Episcoporum in parte minore, in majore Metropolitarum, aut in Africa seniorum Episcoporum, in parte majore εξάρχων sive Primatuum, in majore alia Patriarcharum: & in toto corpore, illius qui est Princeps Patriarcharum,

Episcopi Romane urbis, conformatam esse omnem ad exemplar Principatus ejus quem Petrus in instituto Christi habuit in Apostolos. Nihil enim puto unquam excogitari potuisse à veritate magis alienum, quod tantum abest ut demonstrari possit solidis argumentis, ut ne probabili saltem conjectura nitatur. De Petri principatu in reliquos Apostolos, si ultra ordinis in illo collegio prioritatem, ut ita loquar, extendatur, nullus est planè principatus, nec de eo quicquam habetur in Christi institutione, vel in praxi Apostolorum. Petrus ipse hunc principatum soli Christo vindicavit, quem ἀρχηπίμερος appellat, i. Petr. 5. v. 4. Reliquos omnes pro Sympresbyteris agnoscit, quos hortatur ut pascant gregem Dei, non ut dominantes clericis. Nec principatum potestatis in Christo agnoverunt veteres cuiquam à Christo datum in Apostolos. Hoc erant utique ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pars consortio predicti honoris & potestatis. Sunt verba Martyris Cypriani, in lib. de unitate Ecclesiæ. Quicquid ergo peculiare Petro collatum est, ad honorem & potestatem non pertinebat, quæ erant communia, sed ad ordinem & ad unitatem Ecclesiæ repræsentandam, idque in uno Petro à quo hic ordo cœpit. Alioquin ibidem, vult Episcopatum unum esse, cuius à singulis in solidum pars teneatur: qui etiam huic Concilio præfuit, in quo non patiebantur Patres Africani, quemquam eorum Episcopum se Episcoporum constitutere,

tuere, aus tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigere : Causam addebant, quæ principatus illius jugulum petit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis sua arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non posse, quam nec ipse alterum judicare. Cujus etiam tempore, nec Archiepiscoporum, nec Patriarcharum nomen innotuerat. Quo modo paulatim, ex civitatum & diœcesium prærogatiis in politia civili, hi gradus investi fuerint in Ecclesiam, non est hujs loci pluribus explicare. Id fecit ex parte David Blondellus vir doctiss. & diligentissimus in laboreosissimo Opere de Primatu. Idem expectatur à celeberrimo, &c, ut cum D. Grotio loquar, *optimo interprete veteris eri, Claudio Salmatio;* cujus Opus de Primatu Papæ sub prælo Typographi sudat, & ab autore suo colophonem expectat.

Unitatem Antistitis in Ecclesia universa esse optimum adversus schismata remedium, neque Christus monstravit, neque probavit experientia. Nusquam fuerunt periculosiora schismata, quam in illa Ecclesia quæ hanc sibi usurpavit potestatem, quæ totam Europam sæpè diviserunt, & tandem Ecclesias Orientales ab Occidentalibus. Si qui sint qui se subjiciant ejus dominatui, illi tyrannico terrore adiunguntur, non vinculo charitatis connectuntur. Schismata caveri possunt si in unaquaque Ecclesia plebs suo præposito & presbyterio obediat: si

sit inter Ecclesias communio & communicatio, per cœtus Ecclesiasticos optimè institutos. Quod multis in locis post reformationem experti sumus utilissimum remedium adversus a*g*-*z**ian* & ambitionē. De Melanchthonis sententia circa primatum, non judicandum est ex iis quę initio concessit receptæ consuetudini, cuius emendationem sperabat: Sed postquam vidit id frustra expectari, sententiam suam exposuit, quę si Annotatori placeat, non litigabimus cum eo. De regimine Ecclesiæ sic loquitur, in Respons. ad Articulos Bavarios: Ecclesia est Monarchia, quod ad caput Christum attinet: & Aristotelia quod ad ministros attinet & auditores, ut honestas schola. Paulo autem, postquam egisset de notis Ecclesiæ, Adversarii, inquit, adducunt homines ad alia signa, scilicet ad politiam H V M A N A A V-  
T O R I T A T E in Ecclesia constitutam. Dicunt si-  
gna esse Ecclesia ordinem Episcoporum, Romani Episcopi  
primatum, & successionem ordinariam Episcoporum,  
& similitudinem rituum qui humana autoritate in  
Ecclesia instituti sunt. Hic brevius est responsio de Roma-  
no Episcopo & aliis. Quantumcumque amplificatur  
illa autoritas, tenenda sunt ha regule: Fugite idola.  
Item, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.  
Hic Melanchthon diserte assertit, politiam, quam  
Annotator dicit conformatam ad exemplar prin-  
cipatus quem Christus instituit, esse humana autori-  
tate constitutam. Id autem scripsit anno 1559.  
anno uno ante obitum. Et in locis communi-  
bus,

bus, loco de Ecclesia. Imaginantur multi Ecclesiam multitudinem esse uni Romano Pontifici subiectam, distinctam à ceteris Gentibus per ceremonias quas instituerunt Pontifices, alligatam ad successionem ordinariam Episcoporum, & ad interpretationem Scriptura quam Pontifices & Synodi tradunt. Quia enim sepe incident dissensiones de scripto, dicunt aliam oportere regulam certam esse, scilicet vocem gubernatoris, ut in regno vox regis autoritatem habet interpretandi leges. Hac valde plausibiliter dicuntur apud potentes. Amat enim humana ratio talem picturam Ecclesia congruentem cum civilibus opinionibus, & potentes intelligunt augeri bac opinione suam autoritatem, & banc formam existimant ad pacem utiliorem esse. Sciant autem pii, in hac imitatione seu potius καρκινίᾳ multos errores esse. Concedendum est Ecclesiam esse cætum visibilem, sed cætum similem Scholastico cœtui, non regnum Pontificum. Iudicet nunc Annotator, an prudenter acciverit Melanchthonem ad subsidium sententię quam vult stabilire. Addat si velit quæ idem habet in tractatu de Ecclesia & autoritate verbi Dei, tom. 2. pag. 120. & 121. & 123. Et pag. 452. Pontificium regnum, inquis, fraude & superstitione constitutum est. In cap. xv. Matth. Tomi 3. pag. 490. Papa debet promissionem gratia, & totum ministerium Euangelii vertit in politicum imperium, dicit se esse Petrum, & sic declarat, quod sit Rex & possit condere leges quarum observatio facit Ecclesiam, & interea est idololatria & blasphemus, debet promissionem Euangelii, & finit

git idola , juber invocare mortuos & adorare panem quem circumgestat &c. In summa, Papa facit Ethnicum regnum. An hæc arridebunt novo Papatus propugnatori? Hæcine est experientia quæ monstravit unius Antistitis optimum adversus schismata remedium? In enarratione Euang. Joan. cap. xxi. expressè disputat Melanchthon contra primatum Romani Pontificis, negatque Petrum cæteris Apostolis fuisse antepossum. Vide etiam ad cap. xviii. Matth. pag. 503. & Tom. iv. Paulus Ministros quoad ministerium facit aequales, potestate & efficacia. pag. 220. In eodem Tomo, pag. 505. Gradus Ministrorum & distinctas diuinæs ponit inter ordinaciones H V M A N A A V T O R I T A T E factas.

Addit Annotator, inter eos qui Romani Episcopi principatus utilitatem ingenuè agnovere, Jacobum Regem Magnæ Britanniæ. Debuit loca citare, in quibus hanc utilitatem agnoscit. Nos possumus ea proferre, in quibus principatum illum, Ecclesiæ & politiæ fuisse perniciosissimum contendit. Non tamen inficias eo, Principem illum inter eos fuisse de quibus Melanchthon dicebat, Amare rationem humanam talem Ecclesia picturam qua congrueret cum civilibus opinionibus &c. Sed sententiam suam ita moderatus est, ut nullo modo satisfecerit Cardinalibus Bellarmino & Perronio, ut ex eorum contradictionibus liquet. In Præfatione monitionia, prorsus pernegat terrestrem esse in Ecclesia Monarcham,

eham, cuius verba pro legibus esse debeant, qui que infallibilitate Spiritus, nunquam in suis sententiis errare posset. Negat, si regna terrestria à Monarchis terrestribus regi debent, ideo sequi Ecclesiam à terrestri quoque Monarcha gubernari. Negat Christum pollicitum fuisse Petrum, qui Apostolos dirigeret & doceret, relicturū. Negat Apostolos ullibi vicarii neminisse. Afferit Petrum in omnibus congregatis Apostolorum ut è multis unum inter illos consedisse. Merum fuisse de Ecclesia Capite silentium. In literis Synodi Hierosolymitanæ Apostolorum, Seniorumque & fratum fieri mentionem; de Petro nec verbum. Ex verbis Pauli 1. Cor. 1. v. 12. in quibus objurgat Corinthios, quod personis hominum plus æquo deferrent, colligit Petrum non fuisse visibilis Ecclesie caput: Et apertissime constare Paulum non satis in hac nupera ac novitia doctrina fuisse institutum, qui cum Petro tam parum comiter egit, Galat. 2. ut illi se non aquaret modo, sed etiam anteferret. Quid ergo concedit Petro? atatis & temporis, quo à Christo vocatus est, ratione, fuisse unum exprimariis Apostolis: Principem ordine illorum duodecim quos primos Christus elegit, & de tribus illis unum quos Dominus ordinis servandi gratiâ, ceteris præposuit. Nec aliquid sibi amplius trecentis post Christum annis Romanae sedis Episcopum arrogasse: Et generalibus conciliis subjectum fuisse. Relegat Annotator, quæ idem Serenissimus Rex ibidem scribit de Antichristo, & videbit ejus interpretationes longè recedere à corruptelis quas nuper obtrudit orbi Chri-

Christiano novus interpres, & aliter plane ab eo acceptas fuisse prophetias Pauli & Joannis.

Quæ subjicit Annotator, de Papa involante in jura Regum & Episcoporum, de obedientiæ negatione in talibus, de facto Episcoporum Africæ, de judicio piorum & eruditorum, in causa schismatis, aut si res valde sit dubia, Concilii universalis; si ea Romæ probare possit, & eo nomine Pontificis gratiam promoteret, erit nobis magnus Apollo. Sed videat, ne his exceptionibus effecerit, ut inter primi generis hæreticos collocetur. Quod autem ait, *Principatum Ecclesia in partibus minoribus & majoribus à Deo esse;* tam falsum est quam quod falsissimum. A Deo est ministerium verbi & Sacramentorum in Ecclesia; à Deo sunt Sacrorum ministri, qui oves spirituales pascere debent in unaquaque Ecclesia, in qua Christus non instituit *Principes*, sed *ministros*, nec passus est eos clero dominari. *Majores illæ quas vocat, partes,* fuerunt institutum humanum, quod malè cessit Ecclesiæ. Si Spiritus Dei in Apocalypsi appellat præfatos Ecclesiæ *Angelos Ecclesiarum*, non appellat *Principes*; Angeli enim sunt ἀπτερυκταὶ πνεύματα εἰς διανοίαν δοτοῦσθμενα, non Principes aut dominatores. Hoc nomen convenit cuilibet Pastori in Ecclesia, seu cuilibet presbyterio, collectivè sumpto. Unum enim Pastorem cæteris pastoribus in Ecclesiis illis Asiae fuisse præpositum, nec Ioannes dicit, nec verum

rum est. Id postea accidit ex humano instituto, quemadmodum Hieronymus plurimis locis testatus est, cum aliis veteribus nonnullis: de quibus legat qui plura volet *VValonis Messalini*, qui Annotatori benè notus est, *de Episcopis & presbyteris, contra D. Petavium Loyolitam dissertationem primam.*

In iis quæ deinceps annotantur ad Augustanæ Confessionis sententiam de traditionibus seu ritibus ab hominibus institutis, quod non sit necesse apud omnes seu ubique similes esse; partim concedit, partim *adstringit* illud dictum Annotator. Multa dicit ab Apostolis instituta fuisse aut approbata ad regimen Ecclesiarum, *Synodos &c. spectantia qua prescribi non fuit necesse, quod palam in usum Ecclesiarum essent introducta;* & de talibus litigandum non censemus, si modo non pugnent cum iis quæ sunt scripta; & spectent ad id ut omnia fiant in Ecclesia Εὐχημόρων κατὰ τάξιν. I. Cor. 14.v. 40. Quod autem obiter injicitur, *parem esse autoritatem eorum que dixerant Apostoli, quaque scripserant, non est planè necessarium, quia nonnulla obiter dicuntur quæ non sunt talis momenti, cum iis quæ scriptis consignantur.* Quis enim probabit, quæcumque ab Apostolis dicta sunt, habuisse divinam & canonicam autoritatem? Deinde, esto, paritatem illam concedi posse si quatenus Apostoli & Spiritu dictante loquuti sint & scripserint; Non erit tamen par autoritas nisi æquè constet

constet hæc fuisse dicta, quomodo constat alia  
fuisse scripta.

Quæ in usu vario fuere in primitiva Ecclesia, libera fuisse ex varietate constat. An debuerint poste à necessaria fieri & perpetua disputati potest, præsertim ita ut conscientiis laqueum iniiciant. Si quæ tamen non sunt impia, aut superstitionis, sed ob bonos fines introducta, nisi obrepata abusus, veri Christiani videbunt quid dandum sit consuetudini quæ non erit erroris vetustas. Melanchthonem iterum advocat qui parilitatem rituum commendet, ut pote quæ ornet Ecclesiam, unitatem refertur atque conservet, & ladan neminem. Ubi hoc dixerit Melanchthon totidem verbis, non reperio. Scio Melanchthonem scripsisse, non necessariam esse similitudinem rituum humanorum in vera Ecclesia, manifestum esse ex illis dictis, Regnum Dei nō est esca vel potus &c. Item, nemo vos arguat in cibo & potu &c. Resp. ad Art. Bav. q. 2. Si qui tamē ritus sint adiaphori qui neminem lèdant, & ad unitatem retinendā in Christo faciant, valeat quod dicitur, non esse hominis socialis ab ea paritate recedere, ne dum spiritu Christi habentis; sed quod Aug. dixit de insolentissima insanìa, id retulit ad ea quæ disputantur adversus id quod universa Ecclesia facit, non quod Romana, aut alia quævis Ecclesia localis. Cum Augustino autem non sentit Annotator, qui quæ dicunt Apostoli de rituum onore abolito, non vult jadferri ut onus traditionum humanarum

tum in Christianismo inventum, à fidelium humeris excutiatur. Ipse Melanchthon, qui initio plusculum, talibus tribuere videbatur, quamvis in Apologia eas conditiones & limitationes attulerit, quæ ritus illos omnes qui in Ecclesia Romana commendantur destruant: alibi testimonio Augustini probat plus obesse Ecclesiæ quam prodesse. tom. 2. in tract. de Eccl. pag. 139, *De ceremoniis*, inquit, *si quis etatem Augustini nobis opponit, sciat, ne ipsi quidem Augustino placuisse omnes ritus & persuasiones sui temporis.* Queritur multas superstitiones opiniones hærere in Ecclesia, anteferri humanas traditiones praeceptis Dei, & sic cumulatas fuissent ceremonias ut Iudaorum servitus tolerabilius fuerit, quam Ecclesia. Verba ejus sunt ad Ianuar. Epist. 119. *Ipsam tamen Religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis, misericordia Dei liberam esse voluit servilibus oneribus premunt, ut tolerabilius fuerit conditio Iudaorum, qui tamen divinis legibus non humanis subditi erant.* Hæc ille ex Augustino. Ne quis autem putet Augustinum de particularibus quibusdam ceremoniis consequuntur fuisse, perpendat hæc ejus ibidem verba. *Hoc nimis doleo, quia multa quæ in divinis libris saluberrima præcepta sunt minus curantur, & tam multis presumptionibus plena sunt omnia.* Quid igitur dicendum ad exceptionem Annotatoris, quod Iudæorum ritus non publicè tantum, sed privatim à singulis fuerint observandi, molesti & sumptuosí &c. cum illi ritus de quibus per universam Ecclesiæ

clesiam sive ab initio sive postea, sint pauci, faciles, ad pietatem utiles? Illud sive postea, non solum repugnat testimonio Augustini, sed etiam ante aliquot secula à Gerlone falsi fuit convictum. Tanta, inquiebat, est hujusmodi constitutionum multitudo, ut si tenerentur in suo rigore, maxima pars Ecclesia damnaretur. de vita sp. part. 3. corol. 14. Qui pontificalia, ceremonialia, legerit, & divinorum, quæ vocant, officiorum Rationalia, mirabitur in Annotatore tantam fuisse confidentiam, ut ausus fuerit paucitatem rituum in Ecclesia nostrorum temporum Romana, opponere multitudini Iudaicarum ceremoniarum. Videat qui volet quæ diximus in Cathol. Orthod. part. 2. q. 37. & ad Objectionem de constitutione Apostolica de non edendo sanguine, quæ fusè differuimus ejusdem libri part. 1. quæst. 9. sect. 17. Agere Christum ubi traditiones Pharisæorum improbat de præceptis cum divina lege pugnantibus, aut fundamentum habentibus in persuasione planè falsa atque noxia, aut de aliis etiam quatenus ea præceptis morum præferebantur, aut certe equabantur; verum est, nec repugnamus. Sed pleraque, quæ à reformatis reprehenduntur, sub iis generibus comprehendi res ipsa restatur. Certum est enim, mitius in eos animadverti, qui præcepta Dei transgrediuntur, quam in eos qui in præcepta Ecclesiæ, quæ vocant, impingunt: ibi πάρεγγον fieri λόγον, & ἔγγον haberi in παρέγγελσθαι, nimis constat.

## AD ARTICULUM VIII.

**Q**uod h̄c dicitur sacramenta esse efficacia, etiam si per malos administrentur, non omnino spernendum. At si generalis quædam sit & aperta & permanens corruptio, que pietatis studiosos tum propter rei indecorum, tum propter metum contagii offendat, non adeo mirum est si alienantur animi. Et si ita sensit Cyprianus epistola LXVIII. plebem obsequentem præceptis Dominicis, & Deum metuentem à peccatore præposito separate se debere, ne se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia misceat, cogitandum est, an non que euenerè dissidia magna ex parte imputanda sint corruptissimis qui tum paſſim apparebant Prælatorum moribus, quanquam non nego plebis fuisse officium retinere interim Ecclesiæ universalis & amorem & reverentiam; omnibusque modis ostendere nihil se aliud quam sanctiorem discipulam optare. Magnam partem culpe penes eos fuisse qui abusus noluerunt corrigere, fatetur infrà Cassander.

## ANIMA DVERSIO.

**C**ertum est Sacramentorum efficaciam non pendere à dignitate aut indignitate administratorum, qui publica legatione funguntur, sive boni sint, sive mali. Malos quidem male perdet Dominus: non propterea tamen gratiam suam denegabit iis qui utuntur ministerio eorum quorum mores non probant. Sed nec etiam ab intentione Ministri pendet efficacia Sacramenti, quæ cum nulli homini certò nota sit, incerta pendebit omnium Sacramentorum virtus, si huic dogmati, quod in Ecclesia Romana communè est, fidem adhibeamus.

mus. Cypriani dictum Epist. LXVIII. plebem obsequentem praeceptis Dominicis, separare se debere à preposito peccatore, maximi est momenti, quæ non unius Cypriani, sed Synodi Africanæ nomine ad Hispanos scripta est: præsertim si addatur ratio quæ ibidem subjicitur, quando ipsa plebs maximè habet potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi; ad quod jus si redigerentur præsentis temporis Episcopi, nullus esset qui legitimè vocatus judicaretur. Quod subjicit Annotator, cogitandum esse annon quæ evenere dissidia imputandi sint corruptissimis prælatorum moribus magna ex parte, non erit inutilis cogitatio, si modo hoc addatur, ex corruptis moribus ortam fuisse doctrinæ & cultus corruptionem, dum religionem totam ad turpe lucrum & fœdas nundinationes accommodarunt, qui abusus corrigere noluerunt.

## AD ARTICULUM IX.

**B**APTISMVM infantium nihil habere quod Dei verbo repugnet, ostendimus ad Matth. xix. 14. Quod verò hic sentit Cassander infantibus etiam non baptizatis subuenire posse extraordinariam quandam Dei bonitatem, in eo consentientem sibi habet Gersonem in oratione habita in Concilio Constantiensi in Nativitate Mariæ, & Bielem, & Thomam Cajetanum; inter veteres verò scriptorem quæstionum ad Antiochum quæ Athanasio tribuuntur, Nazianzenum de sancto baptismate duobus locis, & Scholiasten ejus Nicetam: sed &

Augu-

Augustinum antequam in certamine cum Pelagio incalceret, libro III. de libero Arbitrio cap. XXIIII. Locum Joannis tertio intelligendum de iis qui possunt & contemnunt baptizari, vult Lombardus libro IV. distinctione IV. & Bernard. epist. LXXVII. Si Valentiniano Imper. ex Ambrosii sententia, votum baptismi pro baptismō profuit, quid obstat, quo minus, si Deus ita velit, votum aut parentū aut Ecclesiæ pro sit infantibus nullius commissi aut omisi reis? Sed hæc quæ ad nos non pertinent Deo relinquamus. Sicut verò multum deceplum est à prima baptizandi forma, quâ homines ueste exuti in flumine mersabantur, ad quem ritum alludunt Apostoli, cùm nos dicunt exui & sepeliri cùm Christo; ita non mirum est accessisse alia quædam quæ Catholici agnoscunt non necessaria. Origo eorum hæc est, quod illi populi unde ad alios venit Christianismus, multum amarent res eximias non verbis tantum, sed & rebus significare, & cùm viderent Christum in sanandis corporum morbis symbola quædam adhibuisse, tactum aurium, salivam & similia, ac pro certo haberent istas sanationes corporales sanationis spiritualis præferre imaginem, symbola eadem usurparunt ad significandam animorum sanationem quæ ab idolatria, aut etiam à corrupto Judaïsmo ad cœlestem Christi disciplinam transcurrentibus contingit. Manuum impositio ex Hebræorum more ad Christianos venit, usumque habuit in omni precatione, quâ divina opitulatio implorabatur: quæ diversis causis applicata fluxit in sacramenta quinque. Nam vetus mos fuit etiam conjugium contrahentibus manus imponere, quod fit in Oriente. Sic quia Christum in baptismō professis, magno ad perseverandum spiritu opus est, is spiritus per manuum impositionem invocabatur. Et quia Christianis promittitur futurum ut reges sint & sacerdotes, ideo ad manuum impositionem accessit duplex uincio, in vertice & in fronte: quia, ut Hebrei nos docent, in vertice ad modum coronæ

ungi solebant reges, in fronte autem, per modum decullis, sacerdotes. Cætera quæ hic monet Cassander & ex Ruardo confirmat, pia sunt: eaque ad rectum usum Confirmationis saepè monuit Erasimus. Baptismus Ioannis non idem fuit cum Baptismo Apostolico. Habebat enim mentionem tantum poenitentiae & remissionis: non autem promissum Spiritus sancti, ut Baptismus Apostolicus. Et aliud est baptizatos ad Iesum mittere, aliud in nomine Christi baptizare. Errarunt qui in Actis Apostolicis xix. 4, 5, 6. putant eos qui à Ioanne baptizati sunt eo ipso in nomen Christi baptizatos. Decepit eos vacula *μάρτυς*, quam cohaerere putabant cum *ἀργύρωντες*; cum *μάρτυς* saepè & in Græcorum veterum & in sacris libris ponatur sine sequenti *δὲ* per *λαοπόντης*: ut Act. iii. 21. illud autem *ἀργύρωντες*; *δὲ* novum ibi inchoet sensum. Quare quod hic ex Hieronymo dicit Cassander pro verissimo haberi debet.

## A N I M A D V E R S I O.

**B**aptismum infantium nihil babere quod verbo Dei repugnet, jejunè satis dicitur; & si legatur nota autoris ad Mat. xix. 14. facilè videbit lector, ita liberum fieri baptismū infantium, ut nullus sit Anabaptista, qui causam suam ibi defensam non videat; hoc tantum excepto, quod liberum autor relinquat, quod alter ne liberum quidem velit, sed absurdum judicat. Et certè, si Tertulliani sententia locum habeat, & Synodi Neocæsariensis Canon, prout eum interpretatur Annotator, vicerunt Anabaptistæ; neque possunt per antiquam traditionem ad meliorem mentem revocari, cum Traditio fiat incerta per contrariam autoritatem eorum qui ante

ante Concilium Nicænum scripserunt. Proinde, necessario veniendum erit ad argumenta ex Scripturis, quæ si rem non evincant, frustra traditionem advocabimus. De sorte infantium qui fideles habent parentes, & priusquam baptizentur è vivis excent, cum Annotatore sentimus, & iis quos ad subsidium advocat. Id etiam videtur evincere, non fuisse creditum in veteri Ecclesia, baptismum aquæ infantibus esse absolutè ad salutem necessarium, quod tamdiu fuerit dilatum in plerisque. Si enim tale periculum parentes aut curatores infantium prævidissent, non diu distulissent, quod sine grandi præjudicio omitti non posse judicasent. Videquę de eo diximus, Cath. Orth. par. 3. q. 3. Quod spectat formam baptismum administrandi & Ceremonias ad id primum institutas, certū est neq; Christum neq; Apostolos ullam immersionis necessitatem imposuisse, quamvis fuerit in usu, ubi commodè id fieri potuit, per locorum & aëris opportunitatem. Sed aquæ signum esse adhibendum sive immersio fiat, sive aspersio, quod perinde est, ex divina institutione constat. Alia planè est ratio additamentorum quorum nulla est mentio in Evangelicis & Apostolicis scriptis, quæque ex  $\alpha\pi\gamma\zeta\eta\lambda\iota\kappa$  manarunt. Si agnoscant Pontificij talia non esse necessaria, cur ritibus non necessariis oneratur Christianismus, qui utilitatem nullam habent, & per abusum nocent? Si populi

unde ad alios venit Christianismus, amarunt res existencias non verbis tantum sed rebus significare, sufficere eis debuerunt res institutæ à Christianismi autore, qui si aliquando in sanandis corporum morbis symbola quadam adhibuit, quæ cum per se nihil possent, ea reddidit efficacia vi ad sistente; cur attentarunt homines symbola præscribere, eaque ordinaria, quibus nullam vim possunt indere, quantumvis, adscribant? Quid queso facit sputum Sacrifici, naribus admotum baptisati? Dicunt per salivam typicam & sacerdotis factum, sapientiam & virtutem divinam salutem catechumeni operari; nares inungi ad accipiendum odorem Dei notitia; aures, ut aperiantur ad audiendum mandatum Dei. Samaritus in Sacerdotali part. I. Hoc si verum sit, cur non erit necessaria salivæ inunctio? Hoc tamen mysterium non intellexit Scotia Regina Ioanna, de qua scribit Rex Jacobus filius, quod noluerit permettere Hamiltonio Arch. Andreapolitano, ut saliva filii nares conspurcaret, quem sciebat lue Venerea laborasse. In unctione baptisati in vertice & in fronte, ex ritu Iudæorum in regibus ungenidis & sacerdotibus κανγζηλιας agnoscimus, & Judaismi imitationem, quæ cum neque à Christo neque Apostolis fuerit usurpata, ad hominum traditiones pertinent quibus frustra Deus colitur. Rectè Ephræm Edessenus Diaconus, Populus qui ante nos erat cornu olei ferens, ad sacerdotium promovebatur: nos vero serviri inutiles Dei benedicti,

ditti, non cornu, non oleum SENSIBILE sumimus; sed ipse qui est brachium excelsum ac tremendum è cælo descendens, suum nobis per impositionem manuum donat Spiritum. Si aliquot seculis post Christianismi initia, ipsi Sacrorum ministri oleo sensibili non fuere perfusi, quis crederet oportuisse sensibili oleo inungi spirituales reges & fæcerdotes, quales sunt omnes Christiani? De manuum impositione non litigamus, quam Dominus usurpavit in pueris benedicendis, & cujus usum non rejicimus, ita ut tamen ex ea Sacramentum non conficiamus, nec in ipsa Romana Ecclesia habetur pro signo ullius Sacramenti: nec rejicimus quæ habet annotator, ad cap. xix. Mat. v. 13. De confirmatione Pontificia, & recto Catechesis usu diximus, Cath. Orthod. Tract. III. Quæst. 9. De Baptismo Joannis quæstio est temporibus nostris non admodum necessaria. Non assentimur Cassandro dicenti, sententiam eorum esse vetustati consentaneam qui dicunt, iterum debuisse baptisari, qui Joannis baptismò fuerant baptisati: Nec si locus ex Actis cap. xix. 4. &c. interpretationem non ferat, quæ quibusdam viris doctis ante aliquot annos arrisit, sequitur propterea, eos qui à Joanne fuerunt ritè baptisati, denuò ab Apostolis aut eorum discipulis fuisse baptisatos. Agnoscamus baptismum Joannis, quamvis eandem habuerit significationem, quam is qui ab Apostolis fuit

E 5                      admis-

administratus, quemadmodum & eadem fuit doctrina Ioannis, si spectemus id quod præcipuum est, differentem tamen fuisse, si gradus manifestationis, & efficaciam consideremus. *Habuiisse tantum Ioan. baptismum pœnitentia & remissionis peccatorum mentionem*, non promissionem gratiae & Sp. sancti, non recte dicitur si planè exclusivè intelligatur; si juxta mensuram quæ in Euangeliō exhibita est, ferri potest. Certè Prudentius poëta Christianus, contrarium plane cecinit Cathe. Hymno vii.

*Hortator ille primus & doctor NOVÆ*

*Fuit SALVTIS. Nam sacro in flumine,  
Veterum piatas lavit errorum notas.*

*Sed tincta postquam membra defecaverat,  
Caro resplendens influebat SPIRITVS.*

Et paulo post:

*Ibant renati non secus quam si rudit  
Auri recoccta vena pulchrum splendeat.*

Alia citavimus Cathol. Orthod. Quæst. 8. ex Cyrillo Hierosol. Catechesi Illum. III. ubi magnam gratiam tribuit baptismo Joannis; Et ex Eulogio Patriarcha Alex. apud Photium, Bibl. cap. ccLxx. ubi multis probat baptismum à Joan. administratum quamdiu ille vixit fuisse perfectum, nec qui à Joanne fuerunt baptisati, fuisse poste à baptisatos, vel à Christo, vel ab Apostolis. Quamvis post ministerium Joan. nis expletum qui sic poste à baptisarunt, imperfecte baptisarint. *Vnde, inquit, qui Ioannis baptimate*

ptismate suo tempore baptisatus erat, secundo baptis-  
mate non indiguisse ostenditur, & facultatem habui-  
se, illo tempore baptisatos reddere mundos. Si qui ergo  
se baptisatos fuisse baptismō Joannis, sunt pro-  
fessi, non durante Joannis œconomia, potue-  
runt baptisari baptismō à Christo instituto;  
quia cessaverat Joannis administratio, quam  
qui post eum usurpaverant frustra exercebant.  
Quo referendum id quod citavimus ex Am-  
brosio de Sp. & lit. lib. 1. cap. 3. & ex Magi-  
stro Sent. lib. 4. dist. 2. ad lit. F.

---

## AD ARTICULUM X.

**S**IC VIT Dominus id quod dedit Apostolis vocavit  
corpus & sanguinem suum, ita & Ecclesia. 1. Corint.  
xi. 27. id sic explicat Justinus Martyr. Εὐχαριστῶντες  
τῇ τέλειωσί τῷ ἐπιμονούσῳ πάντοις οἱ κυριό-  
μοιοι παρέγνησαν θλίψιοι διδόσσοντες τὸν παρθένον μεταλα-  
βεῖν λέπτον τὸν δίκαιοντες αἵρετον εἰς οἶνον, καὶ υἱὸν τοῦ, καὶ τοῖς πα-  
ρθένοις ἀναφέρετον. καὶ τοῦ φίλου αὐτοῦ κυριότερη παρέγνησαν  
εὐαγγελίαν, τοῦς ἀδελφῶν μεταβάτην εἰς οἶνον, καὶ τῷ πιστούντι ἀληθῆ  
εἰναγματίδειν διδόματερμάτισθεντον οὐ μάλιστρον, καὶ λατομήσατο τὸν τύπον ἀφίστης  
ἀμαρτιῶν καὶ τὸν ἀναγέννησιν λατεξόν, καὶ ταῖς βιττίνες οἱ Χριστοί  
παρέδωκαν. τὸ γένος τοῦ καταγόμενον αἴρετον, ψεύτης κατιόν πόμπη τῶν πατέρων λαμ-  
βάνομέν, ἀλλὰ οὐ τούτου θλίψιον λόγον θεῖν σπερκυπονθέεις ἵστησι  
Χριστὸς οἱ σωτῆρες ημῶν καὶ σπέρκετον εἰς αἷμα τὸν τύπον σωτηρίας ημῶν  
ἔχον, ταῖς καὶ ταῖς δὲ δίκαιοις λόγον τὸν παρέγνησαν τὸν πατέραν δικαιομένον  
τούτοις, οἱ τοῖς αἷμασιν εἰς σπέρκεις καὶ μεταβολήν τούτοις ημῶν,  
οἰκέται τὸν σπερκυπονθέεις ἵστησιν εἰς σπέρκεις εἰδομένοις ημῶν  
οἵτινες οἱ γένος πόστεροι εἰς τοῖς θρυσσομένοις τὸν αὐτὸν λαπτητημέ-  
νούμενον τὴν κυριότερην Εὐαγγελίαν ταῖς παρέδωκαν, στέγαζόν τοι  
αὐτοῖς τὸν ἵστησιν, λαβόντες αἴρετον, δίκαιοποιούσαν ἡ πόμπη· ταῦτα

ποιεῖται τὸς ἀνάμνησίς μου. ταῦτα τὸ σῶμα τοῦ μου. καὶ τὸ ποτίζεσθαι  
οὐργίως λαβόντες καὶ διχαρεστήσοντες ἐκπονοῦν. ταῦτα εἰ τὸ αἷμα μου.  
Postquam Praeses gratias egit, Ἐγκαλλαμένος populus, illi  
qui à nobis dicuntur Diaconi dant cuique presentium  
quod sumant de pane Ἐγκαλλαμένος vino Ἐγκαλλαμένος aqua super quibus acta  
sunt gratia, Ἐγκαλλαμένος portant absentibus. Et hoc alimentum à  
nobis vocatur Eucharistia, cuius nemo aliud fieri posset  
particeps, nisi qui crediderit vera esse qua à nobis docen-  
tur, Ἐγκαλλαμένος qui ablatus sit lamacro pro remissione peccatorum  
ad natuitatem nouam, Ἐγκαλλαμένος sic vixerit quomodo tradidit  
Christus. Non enim ut vulgarem panem, neque ut vul-  
gare poculum hoc sumimus. Sed quemadmodum per ver-  
bum Deicaro nobis factus Iesus Christus Servator noſſer  
carnem sanguinemque habuit salutis noſſra cauſa, ſic  
etiam alimoniam iſtam, ſuper qua per preces verbi ab ipſo  
traditi acta ſunt gratia, per quam alimoniam ſanguis Ἐγκαλλαμένος  
carnes noſſra per mutationem aluntur, illius qui caro fa-  
ctus fuit Iesu carnem Ἐγκαλλαμένος ſeffe didicimus. Nam  
Apoſtoli in commenſarii ſuī, qua dicuntur Euangelia,  
ſic aijunt pracepiffe ipſis Iesum: accepero quippe pane actis  
que gratiis dixiffe: Hoc facite in commemorationem mei.  
Hoc eſt corpus meum. Ἐγκαλλαμένος ſimiliter accepero poculo actis gra-  
tiis dixiffe: Hic eſt ſanguis meus. Irenaeus vero i. v. 34.  
Quomodo autem conſtabit eis eum panem in quo gratia  
acta ſint, corpus eſt Domini ſui Ἐγκαλλαμένος calicem ſanguinis ejus,  
ſi non ipſum Fabricatoris Mundi filium dicunt? v. 2. Et  
quoniam membra ejus ſumus, Ἐγκαλλαμένος per creaturam nutri-  
muri, creaturam autem ipſe nobis praefat, ſolem ſuum ori-  
ri faciens Ἐγκαλλαμένος pluens quemadmodum vult, eum calicem,  
qui eſt creatura, ſuum ſanguinem qui effusus eſt, ex quo  
auget noſſrum ſanguinem, Ἐγκαλλαμένος eum panem, qui eſt crea-  
tura, ſuum corpus conſirmauit, ex quo noſſra auget corpo-  
ra. Quando ergo Ἐγκαλλαμένος mixtus calix Ἐγκαλλαμένος fractus panis per-  
cipit verbum Dei, ſi eucharistiā ſanguinis Ἐγκαλλαμένος corporis  
Christi, ex quibus augetur Ἐγκαλλαμένος ſubſtit carnis noſſra ſub-  
ſtantia, quomodo carnem negare capacem eſſe donationis  
Dei,

*Dei, qui est vita eterna, qua corpore & sanguine Christi nutritur ut membrum ejus?* Fit ergo mutatio quam Græci vocant μεταβολή, μεταρρύθμιση, μετασκόντηση, μεταποίηση, μετατροπή, Latini veteres etiam transfigurationem, & posteriores transubstantiationem, nempe cum sacramentaliter præsens salvator substantia sua nobis adest, ut loquitur Synodus Tridentina, qui locus ordine primus verbis de hoc dogmate ab eadem Synodo alibi positis lucem ad fert. Manent panis & vini τὸν ἀιδητὸν, mutatur νόντινον, ejusque loco succedit corpus & sanguis Christi. Et quia τὸν νόντινον verè sunt ὄντες apud Hebreos, ideóque αἰδητὸν vocantur, ut notavimus ad Ioan. vi. 32. cui loco similes sunt, Ioan. i. 9.. Hebr. viii. 2. ix. 24. 1.. Ioan. ii. 8. & Philoni ἀνακαίστητος στοιχ., libro de sacrificantibus, substantiæ maximè necessariæ; ideò voces realiter, substantialiter, essentialiter, in hoc negotio passim etiam Protestantium Confessiones & magistri usurpant. Eodem sensu veritatis nomen usurpar Augustinus in expositione Psalmi LIV. *Corpus enim in quo resurrexit in uno loco esse oportet. Veritas autem eius ubique diffusa est.* Hieronym. Dupliciter & sanguis Christi & caro intelligitur. *Spiritualis illa atque diuina, de qua dixit: Caro mea verè est cibus, vel caro qua crucifixus est.* Quanquam verò spiritualis est hæc præsentia & efficacia, attamen non animum solum, sed & corpus attingit. animo enim purgato corpora nostra & sanguis noster fiunt corpus & sanguis Christi, id est ejus spiritu vegetantur. Chrysostomus in i. Corinth. homilia xxiv. *Quid fiunt qui sumunt? Corpus Christi.* Ideò Melanchthon ait corporaliter quoque communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare. Et per hanc vim corpora nostra & sanguis noster redduntur idonea ad beatam resurrectionem, propter unitatem veram & realem quam habent cum corpore & sanguine Christi. Irenæus dicto libro iv. c. 34. *Sic & corpora nostra percepientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia, spem resur-*

*Resurrectionis habentia.* Hoc corpus & verum nemo dignè manducat nisi qui prius adorauerit, ut loquitur Augustinus ad Psal. XLVIII. id est cruci ejus se submiserit, quod & corporum submissio testatur: quam corporum submissionem licitam esse Lutherus & Brentius agnoscent. Ambrosius libro II. de Spiritu sancto ait se carnem Christi in mysteriis adorare. Chrysostomus in I. ad Corinthios, in altari ait adorari hoc corpus quod in praesepi adoraverunt magi. Theodoretus dialogo II. intelligi ait mystica symbola quæ facta sunt & creduntur & adorantur tanquam ea existentia quæ creduntur. De hac re infrà aget Cassander. Oblatio autem sive sacrificium hic est triplex. Primò enim offeruntur Deo species istæ creatæ à Deo ad vitæ hujus sustentationem. Hoc est quod dicitur in Liturgiis, *Θεον τοῖς θεοῖς*, tua de tuis. Offerimus ea quæ sunt ejus, ait Irenæus dicto capite. Nec mirum id dici sacrificium, cum LXX. interpres etiam illam legalem ex simila oblationem, de qua agitur Leuitici cap. II. *κυνίας* vocent, & Græci pagani *αρχέματα* quibus accedebat vini libatio. Alterum sacrificium est in eo ipso quod Christus obtulit. Namque hoc ipsum & Ecclesia Deo offert per gratam commemorationem, Deumque orat ut suas preces ratas faciat propter corpus & sanguinem Christi. Et rectè Deo offerimus quod Christus nostrum fecit: Hoc sensu Augustinus de spiritu & litera hoc sacramentum vocat ipsum verissimum & singulare sacrificium, & alibi ait eum non mentiri, qui ait Christum ibi immolari. quod & *μητρὸς απερθέτει καὶ θύει* dixit Eusebius libro I. de Demonstratione Euangelica. Nicæna autem Synodus situm dicit in sacra illa mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, in cruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius corpus & sanguinem verè nos sumentes credere hæc esse resurrectionis nostræ symbola. Benè hanc rem explicat Synodus Tridentina, cum ait, per hoc sacrificium, illud cruentum quod

quod in cruce peractum est repræsentari, vt memoria in finem usque permaneat, & virtus nobis applicetur. Franciscus autem Costerus sacrificii rationem pertinere ad genus orationis: & esse tunc efficacissimam, quando per sacrificium illud repræsentatur quod maximè Deo gratum est & acceptum, nempe passio & mors filii sui. offerri in Ecclesia Deo munus, in quo dum aliiquid agitur, repræsentatur passio & mors Christi, petunturque à Deo dona, quæ Christus nobis sua morte impetravit; & hoc agi ut per Christi mortem, & sanguinis effusionem, his speciebus ob oculos positam, ea impetrentur, quæ Christus verè sua morte in ara crucis nobis est meritus. esse idem sacrificium: differentiam esse in modo. illic Christum verè occisum: hic mortis fieri repræsentationem. illic oblatum ad satisfaciendum, persolvendūmque pretium pro peccatis totius mundi, omnibusque donis necessariis: hic efficacem esse orationem, ut per Christi mortem repræsentatam ea nobis applicentur, & donentur. Lyranus ait, non esse sacrificii iterationem, sed unius sacrificii in cruce oblati quotidiam commemorationem. Oecolampadius vero in Epistola ad Hedianem, nihil ait mali esse, si cum majoribus nostris, tam Orientalibus, quam Occidentalibus, recordationem tanti sacrificii immolationem vocemus. Sic Ambrosius offerre nos quotidie dicit, sed ad recordationem mortis Christi. Tertium sacrificium est, quod ad exemplum ejus sacrificii facit Ecclesia offerens corpus Christi, quod ipsa est, ut loquitur Augustinus. Offerunt enim fideles suum corpus & sanguinem Deo, parati, si ita res tulerit, pro ejus gloria & ædificatione fidelium non bona tantum sua & labores, sed & vitam profundere. Sic Abraham dicitur filium suum obtulisse, defunctione cordis, ut explicat Salvianus. Et huic proposito vires pares Deus tribuit per ipsam Eucharistiam. Cyprianus epistola LIV. *Ut quos excitamus ad pralium non inertemus & nudos relinquamus, sed protectione*

*dione sanguinis & corporis Christi muniamus, & cum ad hoc fiat eucharistia ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento dominica saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem derogamus; aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus? Quanquam vero Transubstantiationis vox idem significat, quod Graecæ illæ quas antè posuimus, tamen hujus vocis usum à nemine exigit Ecclesia Romana: quod & Cardinalis Perronius notavit. Sed nec damnandi sunt qui signum dari corporis dicunt, cum ita loquatur Augustinus, Patrésque alii, & Sacramentum definiatur signum visibile invisibilis Gratiae. Similes sunt voces, figuræ, *αἰσθητα*, *εἰδήσις*, *αἴσθησις*, apud veteres obvia. Benè canit Romana Ecclesia:*

*Sub duabus speciebus  
Signis tantum & non rebus  
Latent res eximiae.*

Possiaci hæc concordia formula placuit Sorbonicis & Protestantibus: *Credimus in usu Cœna Dominica verè, re ipsa, substantialiter, seu in ipsa substantia, verum corpus & sanguinem Christi spirituali & ineffabili modo esse, exhiberi, sumi, à fidelibus communicantibus.* Mos Eucharistiam ad infirmos deferendi quam sit vetus ostendit Justinus, & Nicæna Synodus *ανακράοις ἐφόδοις* necessarium viaticum id vocat. Eum morem Protestantes & in Germania multi, & in Anglia tenent: neque putant deferre se panem vulgarem, sed eum qui Sacramento factus est corpus Domini. Rectè autem notavit Cassander Sacramentum, si efficaciam ejus spectes, perfici sumptione. Extra hunc usum circumstans Eucharistiam mos est novus, & à more veterum discrepans, qui ab ipso conspectu Eucharistie non communicantes arcebant.

bant. Dies quoque festus ab Urbano Papa, ut infra dicet Cassander, ad celebriorem conuentum, non ad circumgestationem fuit institutus. Sed de toto argumen-  
to Eucharistiae suadeo lectoribus videant libellum in-  
certi auctoris, cui nomen Dialacticon, editum Argen-  
torati anno circ 1518. & complura scripta Theophili  
Mileterii.

## ANIMADVERSIO.

**D**ominus, *id quod dedit Apostolis vocavit cor-*  
*pus & sanguinem suum. Quod autem dedit*  
**A**póstolis, fuit panis & vinum. Ergo panem  
 & vinum vocavit corpus & sanguinem suum.  
**O**mnes igitur qui Christo fidem adhibent, cre-  
 dere debent *Panem & vinum, in hoc Sacramen-*  
*to esse corpus & sanguinem Christi.* Nos hoc cre-  
 dimus, & vellemus adversariis nostris esse per-  
 suasissimum. Tunc enim, ipsis etiam fatenti-  
 bus, causa nostra potior erit. Sed nolunt illi  
*Panem esse corpus Christi*, quam enunciationem  
*falsam esse* pronunciat Cardinalis de Alliaco in  
 Sent. lib. 4. q. 6. art. 1. Bellarminus ipse, aut  
*falsam esse*, aut figuratam. Cum autem falsa  
 non sit, figuratam esse necesse est. Quæ hic af-  
 feruntur verba Justini Martyris veteris Eccle-  
 siæ titus in hoc Sacramento celebrando, &  
 sensum verborum satis commodè explicant.  
 Primum ea *super quibus gratia acta sunt*, id est quæ  
 per gratiarum actionem fuerunt sanctificata,  
*panem, vinum & aquam*, diserte appellat. De-  
 inde, unicuique præsentium dari quod sumant,

de pane & vino, &c. III. Non ut vulgarem panem, neque ut vulgare poculum sumi. IV. Per alimoniam illam sanguinem & carnes nostras per mutationem ali, quod de Christi corpore vero dici non potest. V. Nos dicere illius qui caro factus fuit Iesu, carnem & sanguinem esse. Quomodo nempe, alimonia quæ per mutationem alit carnem nostram & sanguinem, potest esse caro Christi, id est sacramentum carnis Christi. Vel, ut in citatis postea Irenæi verbis, *Eucharistia sanguinis & corporis Christi*. Concedamus ergo annotatori quad verum est, fieri mutationem quam Græci vocant μετασολω &c. Latiniverteres etiam transfigurationem. Videndum erit, qualis sit illa mutatio & transfiguratio. Bellarminus, de Sacram. Euchar. lib. 3. cap. 19. & c. 23. duplicem mutationem fieri posse agnoscit, Panem, inquit, Christus accepit, panem benedixit, panem dedit, de pane dixit, Hoc est corpus meum. Vel igitur benedicendo mutavit in corpus, re ipsa, verè & propriè; vel MVT AVIT impropriè & figuratè, addendo significationem, quam non habebat. Quæstio igitur non agitatur, an Deus mutaverit necne panem & vinum in Eucharistia, sed an mutaverit propriè, vel figuratè? Propriam mutationem non inferunt voces illæ Græcæ quas hic congeffit annotator. Nulla enim earum est qua Græci Patres non sint usi ad mutationem accidentalem significandam, quod docti inter nostros viri diligenter proba-

runt

runt variis exemplis. Ne hic actum agamus, poterit Lector consulere, doctissimorum virorum lucubrationes nuper editas, *Thome Mortonii* in decis. de Euchar. part. 2. Clas. 2. cap. 3. sect. 2. *Michaelis le Faulcheur*, in Tract. de Euchar. adversus Cardin. Perronim lib. II. c. v. Et *Davidis Blondelli*, in familiaribus elucidationibus controversiæ Eucharisticæ, cap. v. sect. vi. in quibus diligenter & eruditè varios veterum locos afferunt, in quibus voces hæc omnes non potuerunt aliter accipi quam pro mutatione accidentalí, non substantiali. Alia est ratio transsubstantiationis, veteribus incognitæ vocis, & excogitatæ ab iis qui videtur alias omnes voces mutationem significantes, alio sensu posse intelligi, ab eo quem sibi opportunum judicabant. Quod etiam notavit inter nuperos Scholasticos Franciscus Suarez in 3. disp. 50. sect. 1. Licet, inquit, antiqui Patres usi fuerint variis nominibus, omnia tamen illa vel generalia sunt, ut nomen conversionis, mutationis, transitus, & migrationis, vel accidentaria mutationis magis sunt accommodata, ut nomen transfigurationis, & alias similia. Solum id nomen, translementatio, quo usus est Theophylactus, magis accedere videtur ad proprietatem mysterii significandam, quia significat mutationem usque ad prima elementa; tamen vox illa durior est, & non satis accommodata; significare enim potest resolutionem elementi in aliud, vel resolutionem mixti in elementa. At ipse Theophylactus, ne alios

quamplurimos adducam, transmutationem, μετασύχειων usurpat de fidelibus qui transmutantur in Christum, in Joan. cap. vi. & de mutatione corporum nostrorum, ex statu corruptionis, in statum incorruptionis. In Luc. cap. xxiv. Hæc est causa cur novum illud & portentosum nomen fuit excogitatum, de quo idem Jesuita: *At verò transsubstantiatio propriissimè & accommodatissimè significat transiit seu conversionem totius substantia in totam substantiam.* quasi diceret, alia omnia nomina ante à usurpata non evincunt quod volumus: Itaque inventioni nostræ commodum & aptum nomen accommodavimus. Falsum est ergo transsubstantiationis vocem idem significare quod Graeca illa, quæ ante à posita fuerunt. Nec verum est, quod ex Cardinali Perronio repetitur, usum hujus vocis à nemine exigere Ecclesiam Romanam. Concilium Tridentinum Sess. xiiii. Cap. iv. afferit, conversionem illam totius substantia panis in substantiam corporis Christi, convenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia Transsubstantiationem esse appellatam: illudque repetit cum Anathemate, Canone ii. Et Pius V. hanc formulam juramenti professionis fidei omnibus præscribit, in qua hunc articulum habet; *Profiteor in sanctissimo Eucharistia Sacramento esse verè, realiter, & substancialiter corpus & sanguinem una cum anima & divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantia panis, in corpus;* & rotius sub-

*Substantia vini in sanguinem, quam conversionem Ecclesia Catholica transubstantiationem appellat. Post hæc tam expressa, qui ea se profitetur credere, & vult esse membrum illius Ecclesiæ, quæ convenienter & propriè, ita loquitur; an existimabit Ecclesiam Romanam à se usum illius vocis non exigere?*

Sequitur jam mysterium à seculis incognitum, quo illustratur Synodi Tridentinæ effatum, *quod sacramentaliter præsens Salvator substantia sua nobis adest.* In quo oppositum in apposito continetur; quia *quod sacramentaliter præsens est, non est substantia sua præsens, nec contra.* Nam *præsentia sacramenti, non est præsentia rei significatæ, nisi significante mysterio, non in rei veritate.* Sed audiamus arcanum. *Manent panis & vini ἀιδητὰ, mutatur vonτὸν, ejusque loco succedit corpus & sanguis Christi: Et quia τὰ vonτὰ verè sunt ὅτα apud Hebr. ideoque αἰδητὴν vocantur, ut notavimus ad Ioan. I. idem voces realiter, substantialiter, essentialiter, in hoc negotio etiam Protestantium confessiones usurpant.* Sistamus paulum. Agnoscit annotator in pane *αἰδητὸν καὶ vonτὸν.* Sic etiam in vino. Vult *αἰδητὸν manere, mutari vonτὸν.* Quid est *αἰδητὸν, nisi accidentia panis quæ in oculos incurruunt?* Quid *vonτὸν, nisi substantia quæ talia sustinebat accidentia?* Quid hic igitur novi nobis profertur? An non hoc idem est tam sèpè recantatum, accidentia manere sine subjecto: Subiectum aliud successisse

sisse sub accidentibus illis , quæ tamen in eo non subsistunt ? At hoc protritum est jamdiu , & promiserant nobis conciliatores , se monstrum illud opinionis eliminaturos , & doctrinam de ea re suam ab his incommodis liberaturos . Aliter distinguunt veteres in re sacramentaria  $\alpha\text{ἰ}\alpha\thetaητὸν$  à νοητῷ . Non ut  $\alpha\text{ἰ}\alpha\thetaητὸν$  sit accidens , sine sua substantia , & opponatur substantiæ suæ propriæ ; sed ut essentiam totam rei sensibilis comprehendat , cui tamen per gratiam aliquid accedat νοητὸν , & intellectu solo percipiendum . Sic enim loquitur Chrysost. in Matth. Homil. 82. in Græco Savil. In Lat.interpretatione 83. Ubi dicit ea quæ Christus tradidit  $\alpha\text{ἰ}\alpha\thetaητοῖς$  πεάρμασι sensibilibus rebus , esse πάντες νοητὰ omnia intelligibilia . Sic etiam in baptismo , per aquam δι  $\alpha\text{ἰ}\alpha\thetaητὸν$  πεάρμασι , nobis donat δῶρον νοητὸν . Quodnam autem ? nempe operatur in nobis οὐκέτι καὶ αἰωνιστική regenerationem , & renovationem . Ergo Chrysostomo , τὸ  $\alpha\text{ἰ}\alpha\thetaητὸν$  Sacramenti baptismi , est aqua sensibilis , non accidentia aquæ , sed aqua vestita suis accidentibus . quod autem est νοητὸν est gratia Spiritus , in quam non transubstantiatur aqua . Sic post Chrysostomum loquitur Ephremius Patriarcha Antiochenus , apud Photium C o d. c c x x i x ; postquam offendisset in unione duarum in Christo naturarum , unius visibilis , alterius invisibilis , unam esse quidem personam , non autem

tem unam naturam sed duas distinctas, tractabilem ab intractabili, visibilem ab invisibili; subdit γε των καθηγητῶν περὶ λαμπτανόμενον σῶμα ζειτε, καὶ τὸ αἰσθητόν ΟΥΣΙΑΣ τὸν ἐξιστατικόν· καὶ τὸν οὐσιόν αἰδιάρετον μήδε χάρεται. καὶ τὸ βάπτισμα τὸ πνευματικόν, δλον γενόμενον καὶ ἐν πνεύμαχον, ἐπὶ τὸ ιδίον τὸ αἰσθητόν γίνεται, τὸ διδαχτόν λέγω, Διδαχώς, καὶ ὁ γέζοντες τὸν απώλετον. In his verbis, non separat in sacramentis sensibile ab intelligibili, sed duas res conjungit sacramentaliter, ipsam essentiam sensibilem cum gratia intelligibili. Servat aqua in baptismo essentiam suam accidentibus suis vestitam, nec amittit quod erat, sed accipit gratiam intelligibilem: Sic etiam fit in Eucharistia sine mutatione τὸ γίνεται: nisi velint quibuscum nobis res est, in unione naturarum in Christo, naturam humanam fuisse mutatam in divinam, remanentibus tantum accidentibus quae sensu percipiebantur, quod voluerunt Eutychis factores adversus quos disputabat Ephræmius. Sit igitur verum quod ex Philone & caliis Ebraicis adducit annotator, quae sunt in re unaquaque νοητὰ esse verēστα. Oportebit panis & vini νοητὰ idest substantiam verē existere cum suis accidentibus, per quae sunt αἰσθητὰ, quod nos volumus, & aliud quid νοητὸν agnoscī in Sacramenti vero usu, quod nos facimus; sine ulla transubstantiatione.

Pergit annotator; Eodem sensu veritatis nomen

nsurpat Augustinus in expositione Psal. LIV. Corpus in quo resurrexit in uno loco esset oportet. Veritas autem ejus ubique diffusa est. In qua citatione duplex est, virti alioqui doctissimi, α&ελεψία. Prima, in eo quod cum in ipso Augustino locum non legisset, sed in citatione autoris Dialactici de Eucharistia, in qua idem committitur error, vel in Gratiani farragine, Canone Prima, de Consecr. dist. II. Quia initio Canonis habentur hæc verba, August. in expos. Psal. LIV, quæ referebantur ad primam Canonis partem, non vidit postremam partem in qua continentur verba quæ hic assert, ex alio loco fuisse desumptam, nempe ex Tract. xxx. in Euangel. Joannis. Secunda, eaque grauior, in eo quod verba Augustini mutilat, eisque sensum affingit ab illius mente & à ratione planè alienum. Hæc præcedunt apud August. ex quibus ejus sensus apertus est. Donec seculum finiatur, sursum est Dominus. Sed tamen hic etiam est nobiscum VERTIAS Dominus. Corpus enim Domini &c. Ubi luce meridiana clarus est per Dominum qui sursum est in cœlo, intelligi Dominum ratione illius corporis quod in loco oportebat esse uno : Per veritatem autem Domini, intelligi eundem Dominum ratione Deitatis suæ, quam veritatem appellat per excellentiam. Sic in Epistola ad Dardanum, dicit Christum ubique totum esse tanquam Deum, & in eodem templo Dei esse, tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cœli,

proper

propter veri corporis modum. Mirum igitur, quid in mentem venerit viro magno, ut refecatis prioribus verbis, in *corpore quod in uno loco esse oportet*, quæreret illud suum *αἰθητὸν* exclusorοντω, quasi corpus Christi *quod in uno loco est*, nihil haberet νοητόν; & quasi hic ageretur de veritate corporis, quæ ubique diffunderetur, non de veritate divinitatis, per quam *nobiscum & ubique, est V E R I T A S Dominus!* Nihil autem expressius dici potuit contra veri corporis Christi πανταχθοίαν vel πολλαχθοίαν. Nam, si in uno loco esse oportet *corpus in quo resurrexit*, non potest esse vel in omnibus, vel in pluribus locis; aut corpus illud quod in pluribus locis esse volunt, non est corpus in quo resurrexit Christus, proinde non verum & proprium corpus; sed corpus Christi, *significante mysterio, non in rei veritate*; ut loquitur Augustinus can. 48. de consecrat. distinct. 2. Sic intelligendus est sequens in Decreto Hieronymi locus, ex commentariis in Epistolam ad Ephes. ad cap. i. *Dupliciter intelligitur caro & sanguis Christi &c.* Vbi distinguit inter carnem spiritualem & divinam, & carnem crucifixam; & inter sanguinem spiritualem, & sanguinem qui militis effusus est lancea. Vnde constat carnem illam spiritualem & divinam apud Hieronymum, non esse carnem ore corporis sumendam, sed fide manducandam, & mysticè intelligendam, & accipiendam quidem tan-

F 5

quam

quam crucifixam, sed cum ea consideratione, quod sit spiritualis & divina, quia à persona Christi divina in unitatem assumpta, quæ causa est cur sit vivifica. Videat, si lubet, lector, quæ ad illum vel Hieronymi, vel potius Origenis locum, annotarunt doctiss. viri Edmundus Albertinus, & Michael le Faulcheur.

Quod ait, *spiritualem hanc presentiam & efficaciam non animum solum, sed corpus attingere, quia animo purgato corpora nostra & sanguis noster fiunt corpus & sanguis Christi, id est ejus spiritu vegetantur, bono sensu potest probati*: Sed hoc nihil facit adoralem manducationem, immo contra, eam evertit. Si enim efficacia hæc & præsentia, corpus per animam afficiat, non ori debet admoveri, sed animæ per fidem; non enim fiunt *corpus Christi*, quicumque panem Eucharisticum ore percipiunt; nec à beata resurrectione excluduntur, quibus non datum est sacramenta premere dentibus. Si Melanchthon dixerit alicubi, *corporaliter quoque communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare*, impro priam & duram locutionem postea emenda vit, postquam Oecolampadii luce perfusus, ex Scriptura & Patrum scriptis, de vera & spirituali manducatione carnis Christi, ita fuit persuasus, ut in ea se planè senserit cum Ecclesiis Helveticis & Gallicis. Adscribam hic in gratiam viri docti, qui Melanchthonis iudicio tantum tribuit, quæ ille scripsit Ioanni Crato ni,

ni, die 21. Martii, anno 1559. Existimo, inquit, ad confirmandas mentes consensum veteris statis plurimum conducere. Memini me Lutherο ante annos xx in itinere, cum & placidior & hilarior esset, recitare veterum Graecorum & Latinorum dicta, que expressè dicunt, panem & vinum σύμβολα, item avlētu mō esse: Item, signum: Item, figuram. Cumque adderem recentem errorem esse ponere & ἀρτὸν μεταβολὴν, ή μεταστριχείωσιν (sic enim recentiores loquuntur) ibi ille hac verba subjecit, Mirum esset in Ecclesia recenti potuisse tantum errorem, tamdiu inhaerere, & tam latè recipi. Repressi me, ac mirabar eum tempore in bac re moveri, cum in aliis non moveretur. August. contra Adimantum expressè dicit, Non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cum daret signum corporis. Tertul. expressè &c.

Quod Irenæus dicit, corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non esse corruptibilia, spem resurrectionis habentia, id non facit ad probandum Christi proprium corpus ore manducari; sed ad id tantum, quod qui Sacramentum corporis Christi dignè accipiunt, & spiritualiter Christi sunt participes, per vim Iesu Christi resurgent in novissimo die, ad beatam immortalitatem, quod iis etiam eveniet qui per verbum prædicatum fidem concipient, juxta Christi promissionem, Joan. 6. v. 40. Hac est voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui conspicit filium & credit in eum, habeat vitam aeternam, & ego suscitabo eum in novissimo die. Ex quibus manifestò colligitur, non

non in pane Eucharistico includi vim illam  
quā resurrectionis beatæ candidati sunt qui  
Christum recipiunt; quandoquidem multi de  
hoc pane participant, qui manent in morte.  
Nec hoc voluit Irenæus, qui panem illum,  
etiam consecratum, *rem terrenam* appellat, qua-  
lis est natura sua, quæ per consecrationem fit  
*res cœlestis*, significatione.

*Hoc corpus vōntō & verum, nemo dignè mandu-*  
*cet, nisi qui prius adoraverit ut loquitur August. ad*  
*Psal. xviii. id est cruci ejus se submiserit. Submis-*  
*sionem & propriam adorationem deberi vero*  
*Christi corpori quod nobis est nunc vōntō &*  
*sola mente percipendum, nemo pius negabit.*  
*Sed ἀγονιώνοις & λατεῖαις deberi pani Eu-*  
*charistico αἰσθῆσθαι, non dicit Augustinus, nec si*  
*dixisset esset audiendus. De Luthero & Bren-*  
*tio, quos ait agnovisse submissionem licitam esse, id*  
*non potest intelligi de adoratione divina,*  
*quam neque Lutherus, neque qui ab eo Lu-*  
*theranis appellantur aliter accipiunt quam pro-*  
*cultu idololatrico, quantumvis credant in pa-*  
*ne esse corpus Christi: voluerunt ergo, quod*  
*& de Theodoreto sentiendum, ad sacra signa*  
*percipienda, cum reverentia esse acceden-*  
*dum, propter Dei præsentiam: sed δρπλατρεῖαι*  
*detestati sunt, de qua etiam Melanchthon,*  
*Epist. ad Bullingerum. Quidam veteres amici mei,*  
*mimitantur mibi, se ὡρὴ δρπλατρεῖαι, contra me*  
*scripturos esse: si quid edent nominatim contra me,*  
*decrevi,*

decrevi, Deo dante, respondere. Et in respons. contra Clerum Colonensem. Si, inquit, jam reviviscerent Ambrosius & August. ut non dicam de Apostoli, viderentque Hierophantem gestantem panem, & circumfusam multitudinem invocantem hunc panem, expavescerent, ac interrogarent, ubinam gentium essent: non enim putarent se in loca Ecclesia Christiana venisse. Certum est Apostolos in prima cena de pane Eucharistico adorando, ne cogitasse quidem. Ad mediatorum autem de ea re moderationem, optimè respondit autor libri *de pace Ecclesia ritè & piè constituenda.*

Sacrificii nomen ambiguum esse, non est opus ut multis probemus, quod apud omnes constat. Controversia de Sacrificio inter nos & Pontificios, non est de oblationibus fidelium, quas vel in usum pauperum vel ad ea quæ in Ecclesia sacris usibus inserviunt, offeruntur: nec etiam de sacrificio nostri ipsius, quæ oblationes & sacrificia non à Sacerdotibus propriè sic dictis, sed à fidelibus omnibus, qui facti sunt sacerdotes Deo, *ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo, per Iesum Christum.* 1. Petri 2. v.5. offerri possunt & debent. Quorsum ergo tot involucra, nisi ut sub nomine sacrificiorum variis generis, insinuetur illud, à quo merito abhorrent, qui illud unico & vero Sacrificio quod Christus in cruce obculit, injuriosum esse contendunt? Oblationem panis & vini ad huius vitæ sustentationem, nunquam jussit Christus

Christus à solo Sacerdote fieri ritibus propriis ad id institutis. Sed quæcumque talia offeruntur sive publicè sive privatim, quantumvis in se externa, sub nomine spiritualium sacrificiorum continentur, quemadmodum & corpus nostrum. Nec tamen sunt vera & propriè dicta sacrificia. Quod non evincitur nomine *Iesu*, quo lxx interpretes usi sunt ad legalem ex simila oblationem ; quæ etiamsi sacrificium propriè fuisset, non sequeretur obligationem creaturarum in Ecclesia esse propriè dictum sacrificium; etiamsi sacrificia eleemosynarum & laudum *Iesu* dicantur. Ad Hebr. xiiii. 15. & 16. 1. Petr. ii. v. 5. Nam oblatio ex simila praescripta erat cum certis ritibus à Deo institutis, & à solo Sacerdote sic propriè dicto debuit Deo offerri, qui suffimentum ejus adulteret in ipso altari, munus igne absemptum odoris grati Domino. Levit. 2. v. 2. Quicquid ergo de talibus sacrificiis apud veteres legitur, non aliter accipi debet, quam in significatione communii vocis illius; non speciali & propria. Neque enim in toto novo Testamento mentio fit Sacerdotum aut sacrificorum, qui inter Christianos, certo ritu offerrent aliquod sacrificium : nec hactenus ullum de eo proferri potuit testimonium. Sacramentum autem Eucharistie non potest dici sacrificium, quamvis spiritualia in eo sacrificia precium & gratiarum actionis Deo offertantur.

\*

Quæ-

Quæstio igitur est, an aliquod institutum fuerit à Christo sacrificium externum, solis sacerdotibus reservatum, quod in eo consistat, quod corpus & sanguis Christi verum & proprium modo incruento, in verum & proprium sacrificium offeruntur, pro vivis & mortuis propiciatorium. Id vero est quod uno ore rejiciunt omnes Protestantes & reformati, per negantque vel in Scriptura, vel in prima Christianismi antiquitate fundamentum habere. In verbis non ludendum est, res ipsa, prout nunc exercetur in Ecclesia Romana, est expendenda; probandumque antiquitatem priorem, ubi de sacrificio egit, tale sacrificium intellexisse, quale hoc tempore & ante aliquot secula fuit commendatum. Si de voce tantum ageretur, aut de spiritualibus sacrificiis, facile inter nos conveniret. Sed aliud est planè quod obtruditur, vel à Concilio Tridentino, vel ab iis qui in illius verba jurarunt. Christus corpus suum & sanguinem nostrum non fecit, ut à nobis certo ritu sacrificarentur, sed ut per spiritualem manducationem ejus participes fieremus. Si Christum iterum in sacrificium offerremus propriè, oporteret homines qui sacrificarent hostiā illa præstantiores esse, aut saltem æquè præstantes. Rectè enim dicit Cassander, *Sacrificia OMNIA non dignitate rei oblata, sed offertente animo estimari.* At quis hoc dicet de Christi corpore ab homine oblato? Solus ille se Deo patri

patri offerre potuit ; & nobis fructum Alius oblationis communicare. Hoc facit in verbo & sacramentis , non in sacrificiis externis & propriis. Eucharistiam agnoscimus esse memoriam Sacrificii, aut *Sacrificium memoriae*, ut loquuntur Patres ; *representationem sacrificii &c.* Sed sacrificium memoriae, est sacrificium spirituale, non externum & propriè dictum. Sic sacrificia precum, in Eucharistiae celebratione, & aliis divinis officiis. Si, quod vult Costerus, sacrificii ratio pertineat ad genus orationis ; & oratio sit efficacissima cum representatur mors filii sui, non tamen propterea hæc oratio est sacrificium reale, externum & propriè sic dictum, in quo res aliqua sensibilis & permanens, à legitimo ministro ritu mystico consecratur, & transmutatur. Sic enim Sacrificium proprium definiunt. At negant novi mediatores corpus Christi in Eucharistia esse rem sensibilem aī οὐδὲν τὸν, affirmant esse ψόλον. Si per rem sensibilem & permanentem, intelligunt panem; secundum eos panis non permanet , sed in aliam rem transit. Si intelligent accidentia panis & vini, Ergo nobis accidentium sacrificium, non corporis Christi exhibent quod erit sacrificium Chimæricū. Videant autem qui se Christum sacrificare profertur, quid sibi velint hæc Irenæi verba, lib. 4. c. 34. *Non sacrificia sanctificant hominem: non enim indiget sacrificio Deus: sed conscientia ejus qui offert, sanctificat sacrificium, pura existens, & præstat acceptare*

ceptare Deum, quasi ab amico. Hæc applicent corporis & sanguinis Christi sacrificio ab homine peracto, & se supra Christum efferant.

Citat Annotator duo Augustini loca, in quæ nobis est inquirendum. *Augustinus*, inquit, *de spiritu & litera, hoc sacramentum vocat ipsum verissimum & singulare sacrificium*. Liber de sp. & litera qui habetur Tom. III. Operum August. distinctus est in xxxvi. cap. Si notatum fuisset caput unde hæc verba desumpta sunt, facilius fuisset inquisitio. Habentur autem cap. XI. *Dei cultus in hoc maximè constitutus est, ut anima ei non sit ingrata. Vnde & in ipso verissimo, & in singulari sacrificio, Domino Deo nostro agere gratias admonemur*. Erit autem ingrata si quod illi ex Deo est, sibi tribuerit, precipueque justitiam. Disputat adversus eos qui suis viribus tribuebant justitiam. Dei præcipuum cultum in gratiarum actione constituit, à quo alienos esse docet qui non agnoscebant à Deo esse justitiam per Christum, & ei gratias pro liberatione non agebant, quamvis id facere admoneamur, in ipso verissimo & singulari sacrificio, id est in commemoratione ipsius verissimi & singularis sacrificii, quod Christus obtulit semel in cruce. Locum parallelum habemus Tom. VI. lib. I. Contra advers. legis & prophetatum, cap. XVIII. *Talia sacrificia, loquitur de legalibus, jam non offert Dei populus Deo, posteaquam venit VNICVM sacrificium, cuius umbra fuerunt illa omnia non hoc*

improbantia, sed hoc significantia. Sicut enim res una multis locutionibus & multis linguis significari potest; Sic V N V M V E R V M E T S I N G V L A R E sacrificium multis ante sacrificiorum significatum figuris. Quodnam autem fuerit hoc sacrificium, paulo post indicat, *Quoniam*, inquit, singulari & sola vero sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est: ideo primis temporibus ad hoc sacrificium talibus significacionibus prophetandam, immaculorum animalium sacrificia Deus sibi justis offerri: ut quemadmodum illa erant immaculata a corporum vitiis, ita speraretur immolandus esse pro nobis, qui solus immaculatus erat a peccatis. Ubi manifestata est cum agere de unico & singulari crucis sacrificio, quod in Ecclesia non iteratur: sed pro eo in Sacramento Eucharistie quotiescumque celebratur, immolatur Deo spirituale laudis sacrificium. Sic etiam Tom. III. lib. 4. de Trinit. cap. XIII. Cum præmississet, ipsos spiritus malignos qui divinos ambiebant honores, cognovisse foli Deo debere sacrificium offerri, neque id posse offerri nisi per sacerdotem justum & sanctum, addit: *Quis tam justus & sanctus sacerdos quam unicus Dei filius, qui non opus habet per sacrificium sua purgare peccata, nec originalia, nec ex humana vita qua adduntur? Et quid tam congruenter ab hominibus fumeretur, quod pro eis offerretur, quam humana caro? Et quid tam opus huic immolationi quam CARO MORTALIS? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam fine illa*

ulla contagione carnalis concupiscentia caro nata in utero & ex utero virginali? Et quid tam grātē offerri & suscipi posset, quam caro sacrificii nostri, corpus effetum sacerdotis nostri? Vt quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur? à quo offeratur? quid offeratur? pro quibus offeratur? idem ipse unus verusque mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, VNVS ipse esset QVI offerebat, & quod offerebat. Illustris sanguine locus, & controversiæ dirimendæ idoneus: Ex quo constat sacrificium carnis Christi non posse offerri nisi à solo Christo qui justus & sanctus est: Non potuisse carnem ejus offerri nisi fuisset mortalis, ex quo invictè sequitur, postquam semel mortem obiit & resurrexit, eum nō amplius habere carnem aptam sacrificio; proinde nullum jam esse carnis & sanguinis Christi sacrificium. Vnicum illud QVOD VNVS obtulit, non posse à pluribus offerri. Quomodo igitur immolari in Sacramento dicitur? Augustinus certè alibi dicit *cum non mentiri qui ait Christum ibi immolari;* Sed nescio an non mentiatur, aut saltē fraudis retus sit, qui verba Augustini resecat, ne verus dicti illius sensus innotescat. Disputatur de vero, proprio & reali carnis & sanguinis Christi sacrificio. An igitur non mentitur, qai nunc dicit in Eucharist. *Sacramento Christum realiter, verè, & propriè immolari?* Imò contra hæc addebat August.

gust. Epist. 23. post hæc verba, non utique, qui interrogatus responderit immolari in Sacramento mentitur, & sic se explicabat, *Si enim Sacra-menta quandam similitudinem non haberent earum rerum quarum sunt sacramenta, omnino Sa-cramenta non essent: ex hac autem similitudine plerumque ipsarum rerum nomina accipiunt.* Ex quibus luce meridiana clarius est, Augustinum non credidisse in Sacramento esse sacrificium verum corporis Christi, sed tantum nomen sacrificii & immolationis ei tribui, propter similitudinem. Unde est quod contra Faust. Manich. libro 10. cap. 2. *Quod ab omnibus, inquit, appellatur sacrificium, SIGNVM est VERI sacrificii, in quo caro Christi post assumptionem, per Sacramentum memoria celebratur.* Huc referenda quæ apud Gratianum de consec. dist. 2. cap. XLVIII. citantur ex libro sententiarum Prosperi, *Cœlestis panis qui verè Christi caro est S V O M O-D O vocatur corpus Christi, cum REVERA sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale in cruce suspensum est, vocaturque ipsa immolatio carnis qua sacerdotis manibus fit, passio, mors, crucifixio, non in rei veritate, sed SIGNIFICANTE MYSTERIO: sic Sacra-mentum fidei, quod baptismus intelligitur, fides est.* Postrema verba de Sacramento fidei, habentur Epist. 23. supra citata. Vnde alia totidem verbis descripsierint collectores non constat. Sed quod suo modo est corpus Christi, non rever-

IN CONSULT. DE RELIG. IOR  
ra, quod non est in rei veritate, sed significante  
mysterio, non potest esse verum & proprium  
corporis Christi sacrificium, sed tantum Sacra-  
mentum, veri & proprii sacrificii.

Pergit annotator, *Quod, inquit, μνήμην περι-  
φέρειν καὶ θύειν dixit Eusebius lib. i. de demonst. Euang.*  
Locus habetur cap. x. quem integrum profere-  
mus, ut judicet æquus lector de vero sensu &  
allegationis fide. Itaque, inquit, *post omnia quasi  
mirabilem quandam victimam, sacrificiumque exi-  
mium patri suo operatus pro nostra omnium salute ob-  
tulit, μνήμην καὶ θύμην περιφέρεις αὐλὶ θυσίας τῷ Θεῷ  
διλεγοντος περιφέρειν; memoriam nobis relinquens,  
quam pro sacrificio, Deo continuo offerremus.* Hoc  
autem memoria sacrificium, postea explicat, per  
gratiarum actiones, quas ἀληθές καὶ νοητές  
θυσίας appellat, probatque fuisse à propheticis  
prædictas oraculis, citatque immediate ex  
Psalmis, *Immola Deo sacrificium laudis &c. Elevatio  
manuum mearum sacrificium vespertinum.* Has in  
mysteriorum celebratione à nobis Deo offer-  
ri, cum spiritu contrito, nos ipsos ei conse-  
crantibus, Eusebius fusius differit, quæ omnia  
ad spiritualia sacrificia omnium fidelium re-  
feruntur, non ad verum, proprium & sensibile  
sacrificium, quod nullum agnoscit præter illud  
θυντάσιον θύμα καὶ σφάγιον ἐξαίρετον, quod patri  
in cruce obtulit. Qui etiam lib. 3. de Eccl. Theo-  
logia contra Marcellum, verba Christi *Spiritus  
est qui vivificat, caro non prodest quicquam, Ioan. vi.*

ita interpretatur, ut de sua sententia circa man-  
ductionem carnis Christi , nullum dubium  
relinquat. Eos, inquit, docere voluit, spiritualiter  
intelligenda esse, qua de carne & sanguine audiverant.  
Nolite putare carnem me dicere quam circumfero;  
quasi illam vos comedere oporteat , nec existimare me  
principere ut sensibilem & corporalem bibatis sanguinem, (ubi potandum, Eusebio αἰθητὸν & ψω-  
μαληγὸν proecodem sumi, non pro corporis ac-  
cidentibus substantia mutata,) verum probè no-  
stis, quod verba que vobis locutus sum spiritus sunt &  
vita, ὡς τε ἀντὶ, εἴναι τὰ ρήματα ή τὰς λόγις φύτε-  
τικὰ σάρκας ή τὸ αἷμα, ὃν οἱ μετέχων ἀεὶ, ὡσπερὶ ἄρτῳ  
ἢ ἐγνίῳ τε Φόμενῷ, τῆς ἐγνίς μεθέξει ζωῆς. ita  
ut verba ipsa illius, & sermones, sine caro & sanguis, &  
si quis ea comedat, tanquam cibo celesti pastus, vitam  
eternam participabie. Et paulo post : Hac sensibili-  
ter audita nihil proderunt: Spiritus autem est qui vivi-  
ficat spiritualiter audientes. Ut verba Christi, sunt  
caro & sanguis ejus; sic etiam panis & vini Sa-  
cramenta.

De Canone Synodo Nicænæ afficto, quem  
annotator hic nobis objicit, in quo dicunt  
agnum illum Dei tollentem peccata mundi incruentē  
immolare, &c. non est quod multum labore-  
mus, quia non habetur in veteribus Cano-  
num collectionibus, & Gelasii Cyziceni fides  
qui hanc constitutionem nobis dedit, non sit  
indubitata. Potest tamen eodem modo expli-  
cari quo superiora, in quibus rei significata  
nomen

nomen signo tribuitur, non in rei veritate. Sed ne actum agamus, poterit annotator, & si qui sunt qui de eo canone & ejus sensu plura desiderent, consulere Edmundi Albertini doctissimam considerationem, *Eucharistia veteris Ecclesie*, pag. 166. & seqq. in quibus exactè refellit quæcunque Perronius Cardinalis, ad hunc canonem sibi & suæ causæ vindicandum excogitavit, ejusque interpretationem verborum *ἀρτὸς ἰδίουνον* *incruentē immolatum*, ostendit non exprimere autorum sensum, sed alienum; aliud est enim *incruentē immolari*, quam sine *immolatione immolari*, hoc est Sacramentaliter & in signo, ut supra dictum est. Invictè etiam probat in his verbis non agi de agno propriè dicto, id est de vero & reali Christi corpore; sed de corporis Sacramento, cujus partes possunt sumi majores vel minores, quod corpori Christi non contingit, neque ei convenire potest τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον multum vel pa-rum, quia non dividitur. neque ex multo, vel ex toto, potest accidere *πληθυσμόν*, quod ex magna panis quantitate metuendum esset. Sed hæc omnia rectè intelliguntur de Sacramen-tis, sub nomine rerum significatarum.

Tridentinæ Synodi interpretationem nihil facimus, ut nec Costeri effugia. Norunt qui cā-didè agere volunt, aliam esse eorum mentem, & ambiguis verbis ludendum non esse. Lyra-ni, Occolampadii, & Ambrosii vel potius Hi-larii

larii Diaconi verba, quæ hic afferuntur, pro nobis faciunt, qui agnoscimus in Sacramento Cœnæ potuisse *immolationem* appellari, tanti *sacrificii recordationem*; sed figuratè, non propriè, vere & realiter, quod adversarii volunt. Locus Cypriani ex Epist. l i v. allatus, expressus est adversus eos, qui populum Dei, *ad bibendum in Ecclesia Dei poculum Domini jure communionis non admittunt*. Quinam sint illi satis novit annotator.

Quod autem non patitur damnari eos qui *signum corporis*, dicunt, cum Augustinus aliquique partes sic loquantur, & id ipsa Romana Ecclesia canat, ejus in eo judicium probamus. Sed non admittimus quod de formula Possiani proposita dicit, *eam placuisse Sorbonicis & Protestantibus*, his verbis, *Credimus in usu Cœna Dominica verè, re ipsa, substantialiter, seu in substantia, verum corpus & sanguinem Christi spirituali & ineffabili modo esse, exhiberi, sumi, à fidelibus communicantibus*. Quamvis enim in his verbis nihil sit quod non agnoscamus verum, si bene intelligatur; tamen vel hoc exemplo appareat, quam male cedant formulæ, in quibus sunt phrases & verba, quæ ab utravis contendentium parte, ad suum sensum trahi possint; Nec in verbis hærendum, ut vera fiat reconciliatio, sed in sensu & rebus ipsis. Mitto ea quæ Theodosius Beza unus ex collocutoribus scriptis mandavit, vel quæ legimus in parte prima Comment.

ment. de statu Relig. & Reip. sub Carolo IX.  
 anno c I o I o L X i . quorum Scriptorem puto  
 Ioh. Serranum ; unus pro omnibus nobis erit  
 Præses Thuanus. Ille , ad eundem annum ,  
 Histor. libro xxviii. rem totam ita narrat, ut  
 testetur in nulla formula omnes consensisse.  
 Primæ quidem quæ à Ministris fuit concepta,  
 noluit subscribere Espensæus, qui postremam  
 clausulam improbabat, & suam substitui vole-  
 bat : quam Ministri non approbarunt ; sed  
 posteà formulæ suæ explicationem ad Antisti-  
 tum legatos miserunt , quæ accepta non fuit ;  
 atque ita utrinque discessum est, sine concilia-  
 tione. In omnibus autem formulis, quas ha-  
 bet Thuanus, non reperio hæc verba , in usu  
*cœna Dominica recipimus verè, re ipsa, substantialiter,*  
*& ineffabili modo, & verba illa à fidelibus commu-*  
*nicantibus.* Fortè quædam habentur æqui-  
 valentia; sed cum referuntur formulæ, nihil mu-  
 tari debet aut addi. Verba formulæ apud Thua-  
 num hæc sunt. *Fatemur Iesum Christum in Cœna*  
*nobis dare & verè exhibere corporis sui & sanguinis*  
*substantialiam, Sp. S. efficaciam, & nos recipere & edere*  
*spiritualiter & per fidem, verum illud corpus quod pro*  
*nobis oblatum & immolatum est, ut simus offa de offi-*  
*bis, & caro de carne ejus, ad hoc, ut eo vivificemur,*  
*& percipiamus quacumque ad salutem nostram con-*  
*ducunt. Et quoniam fides verbo Dei innixa, res per-*  
*ceptas facit præsentes, ac per istam fidem recipimus re,*  
*& facto ipso, verum & naturale corpus & sanguin-*

nem Iesu Christi virtute Sp. sancti, hac ratione fate-  
mur & agnoscimus, corporis & sanguinis ipsius in Cœ-  
na presentiam. Hæc sunt postrema verba, qui-  
bus noluit subscribere Espensæus. Hæc for-  
mula, in quam solam consenserunt ministri, re-  
jecta fuit à Sorbonicis tanquam *captiosa & ha-*  
*retica*. Alia autem quam hic profert annotator  
inter duos collocutores Pontificios Monlu-  
cium & Espensæum, & duos reformatos, Be-  
zam & Gallasium, ita fuit concepta, ut neutri  
in eam consentirent, sed in se tantum recipie-  
rent de ea cum aliis collocutoribus ab utraque  
parte, conferre. Quod cum factum fuisset in  
costu Ministrorum, statutum fuit quod illius  
nulla haberetur ratio, quia hujus sacramenti  
mysterium non satis explicabat, ut refert autor  
Ecclesiasticæ Historiæ Eccles. Gallic. libr. 4.  
pag. 604. & 605. Ideò hujus mentio nulla  
habetur apud Thuanum, quæ neque placuit Sor-  
bonicū nec Protestantibus, quicquid hic contra af-  
firmetur.

De more Eucharistiam ad infirmos defe-  
rendi, variam fuisse Ecclesiarum veterum pra-  
xin, ostendi potest. Justinius Martyr in loco  
antea descripto, testatur ad infirmos fuisse  
delatam à Diaconis, eo ipso tempore quo  
Communio publica fiebat; non quod extra  
illud tempus, privatim ad id parata fuerit. De  
more Protestantium in Germania & Anglia,  
malè dicit annotator, eos non putare deferre se pa-  
nem

nem vulgarem, sed eum qui *Sacramento factus est corpus Domini*. Si in eam rem inquisisset prout debuit, didicisset panem non deferri alii unde, & alibi consecratum; sed in ædibus ipsius infirmi sumi & sanctificari, nec infirmo administrari, nisi conveniente quorundam fratrum cœtu, qui cum Pastore & ægro communicent. Vide Liturgiam Anglicanam in visitatione infirmorum. Verba sunt, *Sacerdos primò communiceat*. Deinde alii cum egroto, qui se se ad id prepararunt. Hunc morem non improbavit Calvinus, cuius de eo sententia legi potest Epist. I. I. ad Monsbelgardenenses; & CCC LXI. ad quæst. de quibusdam Eccl. ritibus; Item CCC LXIII. Ad Gasp. Olevianum. *Ex natura quidem, fine, & usu mysterii probè mihi colligere videor, nou esse tanto bono privandos, qui vel diuturno morbo laborant, vel de vita periclitantur.* Cautionem alibi adhibet. *Video quam proclivis in multos abusus sit lapsus, quibus prudenter seduloque occurrentum esset. Nisi enim sit communicatio, perperam deflectitur à sacra institutione Christi.* Conveniat ergo aliquis cœtus oportet, ex cognatis, familiaribus & viciniis, ut fiat distributio ex mandato Christi: deinde conjuncta sit actio cum mysterii explicazione, &c. De eo ergo non difficulter conveniret, si de præcipuis & maximè necessariis inter partes constaret. At ii quibuscum nobis res est, neque nobis, neque Cassandro, neque annotatori concedent Sacramentum, si efficaciam ejus spectes, perfici sumptione; quamvis

quamvis in verbis si ( efficaciam ejus spectes ) latet effugium. Item, morem esse novum Eucharistiam circumgestandi, & à veterum more discrepans, quod certè verissimum est. An autem Dies festus ab Urbano Papa non fuerit institutus ad circumgestationem, respondeant Dom. Grotio Andegavenses, & si possit, eis circumgestationem illam celebrem dissuadeat. Quod sub finem, suadet lectoribus, ut de toto hoc argumen. Euch. legant Diallacticon incerti auctoris, & complura scripta Theophili Milleterii; nescio cur duos illos jungat, quos qui leget attentè, satis percipiet eos non eodem pede incedere. Autorem illius Diallactici fuisse Antonium Cookum, Eduardi VI. Angliæ regis institutorem, nonnulli existimarunt; sed Sturmius in Antipappo IV. illud asserit Ioanni Poyneto Episcopo Vintoniensi, qui obiit exul Argentorati, Marianis temporibus. Qui autem Scripta alterius leget, oleum & operam perdet, non intellecturus, qui se ipsum non intelligit. Si nihil aliud moliatur quam autor Diallactici, cur non apertè agit, cur per tot ambages Lectorem suum circumducit? Autor ille quisquis fuerit XVI differentiis verum corpus Christi quod ex Maria virgine assumpsit, à corpore mystico & spirituali, vel Sacramentali discernit. Hoc vero negat esse corpus Christi propriè dictum. Contendit manere panem & vinum in sua substantia; fieri autem corpus Christi per sanctificationem in Sacra-

Sacramento, ita ut Sacramentum sit figura veri illius corporis, & nomen rei cuius est figura consequatur. Patres autem in hoc Sacramento, vere Dominicum corpus esse voluisse; quia per gratiam & mysticam benedictionem virtus ipsius corporis Christi cum pane & vino conjungitur, qua efficax est & vivifica, atque ita habeat intus abditam & latentem corporis Christi naturalis proprietatem. Probat autem, nomina rerum ipsarum tribus earum virtuti & efficacitati. Fermentum dici in tota massa, in qua vis est & acor fermenti. Ignem nos calcere; cum calor ignis hoc faciat, nobis ab igne longius amotis. Solem adesse, illuminare, urere, fovere, cum virtus Solis hoc faciat, nec Sol ipse extra sphæram suam egredi possit. Regem dici esse in toto regno propter imperii potestatem. Christum in Ewang. de Ioan. dixisse, ipse est Helias, quoniam virtute Helia praditus fuit; ita panem esse corpus Christi, quia gratiam & virtutem ejus vitalem conjunctam habet. Notat ibidem, Cum agitur de Sacramentis, Patres, Natura & substantia mentionem facere; non Φυσικῶς, sed θεολογικῶς, gratia, virtuti, & efficacitati, natura substantiaeque nomen impertinentes, Sacramenti natura id postulante. Addit sub finem. Nec de Transubstantionis vocabulo, quamvis barbaro minimèque necessario litigaremus, si modo talem substantiarum transmutationem interpretentur, qualēm veteres agnoscebant, Sacramentalem videlicet; qualis etiam in homine fit per baptismum regenerato, qui novus homo factus est, & nova creatura, qualis etiam

fil.

*fit, cum nos in carnem Christi convertimur, quibus  
Patres ipsi utebantur exemplis. An hoc totum est,  
quod hactenus tot involutis scriptionibus do-  
cere voluit Milleterius? Si nihil aliud alunt,  
respondeant simpliciter, & hunc Diellactici sen-  
sum, prout illum exponit autor, Ecclesiae Ro-  
manae suadeant. Postea videbimus an idem  
ab animo nostro possimus impetrare. Inte-  
rim suadeo vicissim Domino suasori, ut atten-  
te legat & expendat, praeter recentiores non-  
nullos, quos novit, viros doctos & diligentes,  
Petri Vermilii libros de Eucharistia. Ortho-  
doxum sacrae Script. & Ecclesiae Consensum.  
Altkircheri librum de Mysticō & incruento  
Ecclesiae Sacrificio, in quo, dilucidè expositum  
reperiet discrimen veteris Sacrificii, & Ponti-  
ficiæ Missæ. Item, Hospiniani Hist. Sacramen-  
tariæ partem primam. Thomæ Crammeri Can-  
tuariensis Archiepiscopi, Christi Martyris, Af-  
fertionem veræ & Cathol. Doctrinæ de Eucha-  
ristia, quam in vinculis recognovit; & Thomæ  
Mortoni, nuper Dunelmensis Episcopi, To-  
tius controversiæ doctrinalis de Eucharistia  
decisionem, editam Cantabrigiæ ante bien-  
nium.*

AD

## AD ARTICULVM XI. &amp; XII.

**V**TI L I S S I M U M esset in criminibus manifestis restitui Pœnitentias publicas secundum canones antiquos , aut certè quām proximè ad eam formam . Nam ita Ecclesia servaret suam puritatem, melius corrigeret lapsos , & à similibus criminibus absterreret alios . Et tunc in illis qui præter cæteros magnam ostenderent pietatem , locum utilem habere posset indulgentia , de qua agit canon xii . Nicæna Synodi . Criminum autem non manifestorum utilem esse Confessionem agnoscunt Protestantes in Confessione hac Augustana , & multis in locis Melanchthon . Cùm vero singulorum criminum in memoriam venientium commemorationem cum suis circumstantiis non esse divisi præcepti statuant Canonistæ & Scotus , nec aliter sentire Græcos dicat Gratianus , & Nectarii sequentiumque Patriarcharum actus satis id testantur , Acosta vero narret Theologis quibusdam visum optimè Indis consultum iri si obligatio ista tolleretur , gravissima autem sit disputatio & valde odiosa , quæ crima Sacerdos reticere , quæ revelare debeat ; cogitent Ecclesiæ Præfides , annon hæc res aliquid recipiat temperamenti : deinde annon ex re sit Ecclesiæ absolutionem differri in benè valentibus donec completum sit pœnitentiæ tempus , ne per fiduciam absolutionis homines maneat in peccandi consuetudine , & id quod ad medicinam repertum est non benè adhibitum , vt sæpè fit , alat morbum . De cæteris pœnitentiæ partibus satis benè convenit inter Catholicos & Protestantes . Nam & hic fidem seu fiduciam accipiendæ veniae requirant , presupponunt dolorem de crimine , & illorum complures , ut notavit Cassander , contritioni , id est , spiritui fracto & humiliato , adjungunt fidem . Etiam Suarez amorem Dei requirit , qui sine fide esse non potest . Sufficere autem

autem is dolor intelligitur, qui non est simulatus, sed sinceritatem habet cordis. Si qui autem dixerit hunc dolorem mereri remissionem peccatorum, eos incautius locutos ex eis quæ supra de merendi voce dicta sunt, intelligi potest. Itaque Capreolus & dominicus à Soto hanc vocem hac in re repudiant, & dolorem hunc dispositionem aut præparationem ad accipendam remissionem vocant. Opera quoque digna pœnitentia requiri agnoscent & Catholici & Protestantes. Catholici hæc satisfactiones vocant, neque vero Ecclesiæ tantum, sed & Deo aliquatenus satisficeri locutio est veterum, nec aliud significans, quam quod Protestantes dicunt, mitigari bonis operibus præsentes calamitates. Nec vox repugnat: nam Latinis satisfacere dicitur qui id facit quod offenso placet. Quippe & satisfacere illis dicitur qui profiteretur se nolle aliquid dicendum factumve, ut videre est apud Plautum Amphitruone 11. 2. Sic vocem satisfactionis usurpat Cæsar, Suetonius, Asconius, Martialis. Et satisfactionem ita esse nostram, ut per Jesum Christum fiat, agnoscit Synodus Tridentina. Satisfactionum necessitas non alia credi debet, quam quæ est in illis verbis Apostoli, *Si nos ipsos judicaremus, (id est, aut sponte nostra, aut duce Ecclesia) non utique judicaremur.* 1. Cor. xi. 31.

## ANIMADVERSIO.

**S**I Annotator possit Ecclesiæ Romanæ probare ea omnia quæ in hoc cap. profert, non habebit nos in plerisque difficultes. Certum est pœnitentias à veteribus Canonibus præscriatas publicis criminibus, aut penitus antiquatas, aut in alia omnia commutatas, & nomen sine re usurpari. Ut restituerentur ex parte operæ pretium esset, ad puritatem Ecclesia servandam,

dam, ad corrigendum lapsos, & à similibus criminibus alios absterrendos. Ut in totum, & proximè ad veterem formam, in hac Ecclesiæ constitutione, ubi viget Christianismus, & exultat Ethnicismus, an expediret, disquisitione id accurata dignum est. Quicquid sit, ubi est aliquis rigor disciplinæ, qui ubique major esse deberet, non improbanda est constitutio Nicæna, circa eos qui metu, lacrymis, tolerantia, & bonis operibus, τὴν ἀποφύγειαν καὶ τὴν μεταβολὴν σηματίζειν την αὐτην, conversionem suam opere, non in specie tantum, ostenderent, ut de iis humanius aliquid statuatur. Id, si quis *indulgentiam* vocet, de verbis litigandum non censemus, si nihil aliud sit quam relaxatio aliqua, longioris temporis præscripsi, & aliarum conditionum, quæ in Canonibus pœnitentialibus circa tales lapsos habentur; nec id trahatur in abusum, ut sub hujus vocis prætextu, prosternent publicæ nundinationes *indulgentiarum*, quarum dispensationem sibi reservavit Romanus Episcopus, quæ (ut ait Cassander,) parum dexterè tractata bujus dilacerationis Ecclesia precipuam occasionem dedere.

Quod Protestantes in Confess. Augustan. & Melanchthon multis in locis, criminum non manifestorum utilē confessionem agnoscunt, hoc & nos facimus, dummodo non judicetur necessaria, & conscientijs laqueum non injiciat, liberumque relinquatur cuique examen conscientia.

tiæ suæ, ad quod si consilio & consolatione, ex verbo Dei, opus sit, poterit adhibere Pastoris sui auxilium, si ipse sibi non satisfaciat. Melanchthon enumerationem peccatorum non censet necessariam jure divino, refellitque eorum argumentum qui contra sentiunt, judicem debere causam cognoscere, priusquam pronunciet. Hoc, inquit, nihil ad rem pertinet, quia absolutio est executio alieni beneficii, non est judicium. Christus non dedit mandatum de cognoscendis occultis. Hoc idem agnoscit annotator, statuere Canonistas, & Scotum, nec aliter sentire Græcos teste Gratiano, & Nectarii sequentiumque Patriarcharum aëus sat is testari. Id quantumvis sit verum, vix tamen extorquebit à Pontifice Romano & Theologis qui ei subsunt. Mirum est quod Acoftæ testimonium hic adducatur, narrantis Theologis quibusdam visum, optimè Indis consultum iri si obligatio illa tolleretur. Nam Theologi unius tantum meminit, De procur. Ind. sal. libr. vi. cap. xvii. cuius sententiam illam ridendam, dicit, si modo risu ac non potius acri dolore tam absurdæ blasphemie excipi debet. Id insanè, imo verò hereticè prorsus dici. Sacrosancta concilia, totiusque consensum Ecclesia censere illud esse divini juris & divine autoritatis. Estne ergo hic sperandus consensus, aut annotatori expectandus applausus à Jesuitis? Imò apud eos audiet, *insanus, blasphemus, hereticus*. Ut & in aliis quæ addit; nec à talibus praeditis, quibus multum tribuit, ali-

quod

Quod cæteras pœnitentiaæ partes spectat, nescio an eos suffragatores sit habiturus, in eo quod dicit de iis *satis bene convenire inter Catholicos & Protestantes*. Qui Melanchthonis autoritatem plurimi facit, si legerit Caput de pœnitentia in *Apologia Confessionis Augustanæ*, non potuit hæc scribere nisi repugnante conscientia, si quid tale Melanchthoni visum fuisse velit: Vel oportuit eum sentire Melanchthonem non egisse candidè. Ille enim plures controversias & abusus in hoc solo capite enumerauit, quam in alio ullo: & quamvis nonnullæ sint loquendi formulæ, in quibus partes videntur convenire, est tamen planè aliis sensus, aliis finis & scopus. *Opera digna pœnitentia*, si qui essent qui non agnoscerent requiri, aperte Euangeliò repugnarent. Sed quo sensu in regno Pontificio, *Satisfactiones* vocentur, talia opera, etiam apud Deum, inter partes non convenit. En tibi

*Quod pradulce cadit stillante Melanchthone nectar:*  
Deus perdas impios Sophistas, tam scelestæ detorquentes verbum Dei ad sua somnia vanissima. *Quis bonus vir non commoveatur indignitate tanta?* Christus inquit: *Agite pœnitentiam*. Apostoli pradicant pœnitentiam. Igitur pœna eterna compensantur satisfaktionibus nostris. Igitur claves habent mandatum remittendi partem pœnarum purgatorii. Igitur satisfactiones redimunt pœnas purgatorii. *Quis docuit istos*

istos asinos hanc Dialecticam? Sed haec neque Dialectica, neque Sophistica est, sed est sycophantica. Tantumne irarum, in tam miti ingenio pro re nihil? Si satisfacere nihil aliud sit, quam profiteri senolle aliquid dictum factumve, quid litigamus? Cur igitur Scholastici definiunt satisfactionem redditionem equivalentis? An reddit æquivalens qui se debitorem facetur, & petit sibi remitti? Si satisfactionum necessitas non alia credi debet, quam qua est in verbis Apostoli, Si nos ipsos judicemus &c. facile conveniet, præsertim si verba illa cum Chrysostomo sic interpretemur.  
*Non dixit, si castigaremus nos ipsos, si puniremus: Sed S O L V M si velimus agnoscere peccata, si nos ipsos condemnare, si de delictis ferre sententiam, liberaremur ab eo, quod & hic & illic est supplicio.*  
 Homil. xxviii. in ad Cor. At hoc non est reddere æquivalens. Vide quæ diximus Cathol. Orthod. Tract. i i i. quæst. 12. ubi hanc questionem pluribus ventilavimus. Scholastici definiunt satisfactionem, omne opus bonum afflictionem habens, quod suscipitur ut Deus pro peccatis placetur. Inter illa opera enumerant orationem & eleemosynam, quasi Deum orare, & pauperi eleemosynam erogare, essent afflictiones. Addunt, omnia quæ pro expiandis peccatis suis pœnitens voluntarie assumit aut patitur. Sic Molanus Tract. i. de pœnit. cap. 13. Volunt etiam unum pro altero satisfacere, quod intelligi non potest eo sensu quo veteres dicebant eum

satis-

IN CONSULT. DE RELIG. 117  
satisfacere, qui testabatur, *nolle se aliquid dictum factum esse*; nemo enim de alterius voluntate potest respondere.

---

A D A R T I C U L U M XIII.

**S**ACRAMENTIS non significari tantum gratiam collatam, sed & conferri suprà vidimus. Et opus operatum intelligitur Dei efficacia, ad honorandam Ecclesiam, & ejus unitatem nobis commendandam, Sacramentis attributa. Cæterum non negant Catholici requiri ad salutarem usum in adultis fidem & Dei amorem. Et hæc ita ajunt requiri, ut efficaciam honos Deo salvus sit. In his omnibus nihil est controversiae, si dextera interpretatio accedat. Si qui minus recte locuti sunt, eorum imprudentia alios non involvit.

Suprà diximus ritum apud Hebræos, Christum quoque & Apostolos usitatum, manus imponendi, propter usum ejus frequentiorem in firmandis baptizatis, ordinandis pastoribus, reconciliandis pœnitentibus, copulandis conjugibus, animandis iis qui cum periculo vitae ægrotant, fluxisse in quinque Sacra menta, additis ritibus quibusdam, quos aut Apostoli institueré, aut posterior ætas ad adumbranda quædam Scripturæ loca non inutiliter invenit. Eo autem minus æquum est eo nomine scindi Ecclesiam, quod eadem omnia, etsi non planè cum iisdem ceremoniis, habeant Ecclesiæ Orientis. Vide Jeremiæ Patriarchæ scripta ad Tubingenses.

A N I M A D V E R S I O.

**E**ADEM ferè dicta sunt supra ad Artic. V. ubi actum est de efficacia Sacramentorum, & opere operato. Ibi etiam diximus quæ ad eam

rem pertinent. In his autem omnibus nihil esse controvergia, si dextera interpretatio accedit, confidenter satis dicitur: nec potest dextera interpretatio sententias adversas conciliare, ne quidem, si quis in negotio religionis sit ambidexter, hoc poterit. Sperandum est ab annotatore novum *Lexicon Scholasticum*, qui voces aliter haec tenus acceptas & intellectas à Scholasticis, novis significationibus pro sua autoritate dignetur adaptare. *Opus operatum*, fuit olim apud eos, & etiamnum apud recentiores Scholasticos, ut anteà diximus, quod *Sacramenta* sunt *per ea causa gratia*, quatenus habent rationem entis naturaliter operantis quodammodo. An tale ens, sit ipsa Dei efficacia, saltem dubitari potest. Si nihil aliud quam Dei efficaciam intelligent, cur verbis perspicuis & facillimis, substituunt barbaras voces, quas ipsi vix intelligunt? Dei efficaciam in *Sacramentis* agnoscimus, ad quorum præsentiam in legitima administratione Deus, ex pacto agit. Sed *Sacramenta* operari tanquam *entia naturalia*, hoc certè falsum est; quod etiam agnoscunt qui inter Scholasticos subtiliores, *Sacramenta* inter mentales causas ponunt, quæ effectum non attingunt. De eorum circa vim causalem *Sacramentorum* dissidiis, diximus in Orthod. Cathol. Tractat. 3<sup>a</sup> Quæst. 1. Et de numero *Sacramentorum*, Quæst. 2.

*Ritum impositionis manuum fluxisse in quinque Sacra-*

Sacmenta additis quibusdam ritibus quos Apostoli instituere, aut posterior etas ad adumbranda quædam sacra Scriptura loca non inutiliter invenit: audax est annotatoris inventum. *Impositio manuum* per se, in nullo quinque additiorum Sacmentorum signi à Christo instituti & mandati rationem habet, ne quidem in ministrorum ordinatione, in qua ab Apostolis fuit maximè adhibita, necessaria judicatur à multis. Quamvis enim nonnulli velint *impositionem manuum*, & *traditionem instrumentorum*, esse signa illius Sacmenti; sunt tamen qui solam *instrumentorum traditionem* sufficere contendunt. At id ex scripturis non habetur, ex quibus de Christi institutione constare debet. Vide Dom. à Soto in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. Minus adhuc constat de forma, quæ purè est institutionis humanæ. In *confirmatione*, *impositio manuum* non est signum Sacmentale, sed oleum ab Episc. consecratum, cum forma etiam humanæ inventionis. Sic de reliquis tribus censendum in quibus aliam matetiam ab *impositione manuum* omnes Pontificii usurpant & necessariam censem. *Fluxus* ergo ille quinque Sacmentorum est ex turbido humanae traditionis aut potius *inventionis* cœno, non ex fonte divini verbi. Sacmentorum autem institutionem esse divini juris & autoritatis, ne Papistæ quidem negant. Quæ invenit posterior etas, ad illud referri non possunt.

Quod dicuntur *non inutiliter inventa*, id à corrupto humano judicio est. Non solum inutilia sunt, sed perniciosa, hominum inventa in quibus sibi divinam usurpant autoritatem sacra signa instituendi, eisque effectus gratiae affingendi, sine Dei promissione & mandato. Hæc omnia *et si non planè cum iisdem ceremoniis*, si habeant Ecclesiæ Orientis, non propterea à Deo sunt. Alia complura retinent pejoris notæ, quæ non ita pridem Constantinopolitanus Patriarcha ὁ μακαρεῖτης Cyrilus rejecerat, & Orthodoxam de Sacramentis confessionem ediderat. Vide Disp. xlvii. de quinque falsis Pontificiorum Sacramentis, in Synopsi prioritatis Theologiarum Leyd. Theologorum. Item August Hunnaeum in *Axiomatibus de Sacram.* adjunctis tertiaz parti summæ Thom. Aquin. ubi omnium illorum Sacramentorum materiam formamque describit, nulla habita mentione impositionis manuum. Et quia video Costerum esse annotatori familiarem, poterit apud eum in Enchir. Controv. legere omnium illorum Sacramentorum materias & formas, juxta Concilium Florentinum, in quibus nullam reperiet vel umbram *impositionis manuum*, multo minus fluxus illius quem sibi fixit.

## AD ARTICULUM. XIV.

**E**PISCOPI sunt Presbyterorum Principes: & ista ~~convenit~~ à Christo præmonstrata est in Petro, ab Apostolis vero, ubicumque fieri poterat, constituta, & à Spiritu sancto comprobata in Apocalypsi. Quare sicut est optandum ut ista ~~convenit~~ retineatur ubique, ut pote non ad singularum tantum Ecclesiæ optimum regimen, sed & ad totius corporis cōpagem per quam necessaria, ita rogandi sunt reges & clericorum collegia, ut Episcopi siant viri vitae sanctæ, in sacris scripturis & Conciliorum actis, veterumque libris bene versati: deinde monendi Episcopi ut diligenter inquirant in vitam & studia eorum qui ad presbyteratum aspirant, ne presbyteri frant inutiles, & plures quam opus sit ad instruendam plebem. Id si fieret, neque tot esset Missa privata, quæstus causa, neque opus esset Monachis, qui in docendo populo & exomologesi audienda, præcipuas obeant Presbyterorum partes: neque causa esset, cur illi Monachi eximerentur ab inspectione Episcoporum; contra motum veteris & nunc etiam Græce Ecclesie.

## ANIMA DVERSIO.

**D**E Episcoporum ~~convenit~~ ea repetit quæ habet ad Artic. vii. ubi de eadem diximus, hic non repetenda. Quod vero spectat id de quo Reges rogandos censet, & clericorum collegia, non abnuimus quin id utile foret; quod si suadere possit Episcopis, ut imminuant numerum presbyterorum, ne sint tot missa private quæstus causa, neque opus sit Monachis qui doceant & confessiones audiant, qui eximantur ab in-

*spectione Episcoporum, contra morem veteris Ecclesie,*  
 næ ille vitula dignus erit. Sed caveat sibi ne  
 crabrones illos in se irritet. Quamvis enim co-  
 razonam Papæ leviter attingat, quam Lutherus  
 olim concussit, non minus tamen his paucis  
 verbis tangit *ventres Monachorum*, quæ duo  
 olim notavit Erasmus γελωτοποιὶς tanquam  
*duo Lutheri magna peccata.* In Chronic. Melanc.  
 libro V. An autem à Regibus verè expectet au-  
 tor talem reformationem, ut *Episcopi fiant viri*  
*vita sancta, &c.* judicari potest ex eo quod in  
 notis suis ad Matth. cap. xx. 25. verum esse asse-  
 rit, quod ille dixit, *omnes bonos Principes uni annulo*  
*facillimè inscribi posse.* Qui hoc judicium de Prin-  
 cipibus laudavit, non debuit inflectere alio-  
 rum verba, & consequentiâ odiosa & mali-  
 gna, inferre eum qui scripsit, à *viris bonis Ponti-*  
*ficem Romanum Antichristi elogio decorari*, non *pa-*  
*tì Regem dici virum bonum.* quasi vero indefinita  
 affirmans, faceret universalem negantem, in  
 materia non necessaria. Ego nolle cum Me-  
 lanchthon dicere *hanc Dialecticam esse Sycophan-*  
*ticam.* Sed qualiscumque sit, de ea judicent  
 candida pectora.

## AD ARTICULUM XV.

**D**E his rebus suprà diximus ad Articulum VII. Mo-  
 res aut leges qui divinis legibus repugnant, non esse  
 servandos satis constat. Et ies per se mediae desinunt ta-  
 les.

les esse ubi pacis aut ordinis causa lex aut canon factus est, aut consuetudo legis vim accepit. Ab initio non multum refert utrum fiat: constituta autem lege plurimum, ait Aristoteles Nicomachiorum v.10. Et qui Ecclesiis singulis aut corpori universo hanc adimunt potestatem, adimunt ei quod cognatum est omnibus societatibus. Verum est non debere onera imponi nimia & inutilia, quale fuisset onus tot Iudaicorum rituum iis qui ex gentibus erant vocati: neque vero tales sunt ritus qui in Oriente & Occidente recepti sunt: sed pauci numero, sine sumtu, & minimè graves, præsertim adhibitis temperamentis quæ adhiberi solent, & de quibus pulchra hic dixit Callander. Sunt autem talia Deo grata, quia ordo & pax ipsi placent: partim etiam quia in iis si non virtutes sunt sitæ, at certè præparatus quidam ad virtutem. Cauendum autem ne in his præcipua pars pietatis ponatur, aut ne tantum hic infumatur curæ, ut propter hæc negligantur quæ sunt potiora.

## ANIMADVERSIO,

**N**Os etiam ibidem reposuimus quæ necessaria visa sunt ad rem de qua agitur. Quæ in Ecclesia fieri debent circa cultum Dei, ad Aristotelis regulas non sunt exigenda. Nec etiam omnia quæ ad Ecclesiæ politiam spectant. In Rebus publicis *leges omnes quas de rebus singularibus populi ferunt, sunt legitime*, apud Aristotelem. In Repub. Christiana non item. Non tamen inficias imus, posse ab hominibus in Ecclesia, ex regulis generalibus S. Script. constitui dialegjas, quæ negligi non debent, si non sint iniquæ, Arist. in legibus humanis *consensum requirit, ut legitimæ sint. Ritus in Oriente*

&amp; O-

& Occidente receptos, paucos esse numero, & minimè graves, probet annotator iis, qui extra Orientem & Occidentem vivunt, & de moribus utriusque partis Christianorum nihil unquam intellexerunt. Cautio quam sub finem adhibetur, an ritè fuerit observata, eorum judicio committimus, qui sub gravibus illis oneribus fatiscentes, ingemiscunt. Nonnullorum anteà querelas audivimus, si plures & graviores velit.

*Qui gaudet Batavis quod aheneus adstat Erasmus  
Præmia sed meritis ista minora putat:*

Legat ea de quibus multis conqueritur in cap. xi. Matth. ab his verbis, Verè blandum est jugum Christi, & levis sarcina, si prater id quod ille nobis imposuit, nihil imponeretur ab humanis quaestuculis, & quæ sequuntur per duas integras paginas. Legat quæ ipse Cassander habet supra Artic. vii. de nimia ceremoniarum multitidine. Audiat Ioan. Ferum Concionatorem Moguntinum, in cap. xv. Matth. *Habemus*, inquit, & nos traditiones Seniorum & constitutiones multas nimis. Sunt enim prælati Ecclesia admodum liberales in constitutionibus faciendis, quas tamen ipsi interdum, ne minimo quidem digito attingunt. Et paulo post, Omnia autem maximè reprehensibile est hoc, quod constitutiones Ecclesiasticas plerumque præceptis divinis aquamus, imò preferimus. cuius indicium est quod majores conscientias propter hoc formamus, quas propter transgressionem, præceptorum Dei. Deinde

*trans-*

transgressores Ecclesiasticarum constitutionum rigidius punimus, tam in foro conscientia, quam in exteriori foro, quam transgressionem legis divinae. Diu ante Cardinalis Cameracensis Petrus de Alliaco lib. de reform. Eccles. Rom. De tertio, inquietabat, gravamine Romana Ecclesiae, quod imponit alii in numerosa multitudine Statutorum, Canonum, Decretalium, & maximè illorum quæ videntur ad graves pœnas, & præcipue ad mortales culpas obligare, & eadem ratione de similibus statutis, aut constitutio-nibus Synodalibus prælatorum providendum erat de rationabili alleviatione hujusmodi oneris, ne de prælatis verificetur, quod de Pharisæis & sacerdotibus Synago-gæ à Christo improperando dictum est: Imponunt one-ra gravia & importabilia in humeros hominum, digito autem nolunt movere.

## AD ARTICULUM XVI.

**V**E RVM est non interdictam Christianis ~~impeditum~~ five prælationem inter ipsos. Nam dominis egregia-dant præcepta Apostoli, non autem vetant eos servis uti. Et quæ dixerunt dominis, eadem dicturi fuerant regibus, si reges tunc fuissent Christiani. Cæterum mon-nendi sunt qui potestates civiles obtinent, ne malint exscindere malos, quam emendare, & ne ad Draconeas leges veniant, ubi sine eis societas civilis conseruari po-test. Deinde Christianorum esse Principum vitare bel-la omnia, quod inter Christianos fieri facile potest mu-tua concessione, aut veniendo ad arbitros, quod ad min-us incommodeum, id est, ad lites incruentas vitandas, fieri vult Paulus. Qui in ea re æquas conditiones repu-diabit,

diabit, is jam nomine, non re erit Christianus. Qui autem Christi & Ecclesiae causa aliquid de suo cederet, is nihil veri honoris ex eo perdet. Et in hac potissimum re quicquid fieri potest suadendo, non cogendo, id experiri debent Ecclesiarum praesides, pacis praecones, cum nunc contra bellorum concitores maximi inter ipsos reperiantur, nonnulli eorum ne a bellicis quidem actibus abstinent. Non male veteres canones tales actus interdixerunt clericis & monachis, imo & pœnitentibus. Quare nec spernenda est illorum laicorum cautio, qui cum videant multa in capitalibus judiciis, multo autem plura & majora in bellis peccari, ab utroque se abstinent; neque societates talium hominum, quales olim fuere in Iudea Rechabitarum & Essenorum, damnandas essent, si non ab Ecclesiae universitate corpore se segregarent, unde exemplum ortum est infinitarum etiam inter ipsos secessionum, ut olim inter Donatistas. Ac sicut cum tales societates inter Judæos essent, non defuere judices & milites, ita ne nunc quidem unquam sunt defuturi. Quod vero hic dicit Castander, Imperatorum & Regum hoc quoque esse officium, ut leges divinas & canonas conservent, verissimum est: debent enim Christo servire etiam quæ reges. Sed cavere sibi debent ne schismati dent causam: sed ita se norint Ecclesiarum sui regni esse tutores, ut simul meminerint Ecclesiae universalis esse filios. Pessimè autem officium hoc implant Principes, qui ea quæ olim Deo, id est, piis usibus, data sunt, ad suos & quidem profanissimos sepè usus vertunt, hoc obtentu, quod nimis multa possideant Episcopi. Si nimirum multa habent Episcopi, detur quod superest Presbyteris & diaconis: detur Ecclesiis ædificandis aut instaurandis: detur pauperibus popularibus: & si ei deficit, externis, sicut olim ab Achaia & Macedonia missæ sunt in Iudeam pecunie: redimantur qui apud barbaros sunt captivi, quam ob causam multi Episcopi vasa Ecclesiae, etiam jam consecrata, vendidere, quidam se meti ipsos

metipso dedere pignori. Miror non tereti eos qui vetus Testamentum legunt, Achanis, qui Novum, Ananias exemplo. Ethæc vel præcipua causa est, cur tam diu bella durent, non tantum quia propter ista utrimque bellatur, verum etiam quia Deus contemtum sui sic ulciscitur. Quod autem dicit Articulus Confessionis Augustanæ, parendum esse Magistratibus, nisi cum jubent peccare, rectè dictum est, modò sciamus eum qui Magistratui à Deo vetita jubenti nec paret, nec vi resistit, sed potius quam vi resistat mortem amat oppetere, id facere quod Christianos in Petri persona docuit Christus, quodque optimorum temporum Christiani fideliter implerunt. Et hæc fuit patientia illa quæ mundum vicit, quod omnium miraculorum est maximum. Et hoc rectè aptari possunt quæ sequente Articulo dicuntur contra spiritus tales quales in urbe Monasterii quondam apparuere.

## ANIMADVERSIO.

**Q**uae in hoc Articulo de *Magistratū & rebus civilibus*, habet Cassander, talia sunt, ut nemo sit reformatorum qui libenter eis non subscribat, tam in eo quod spectat ordinationes civiles, quam quod Regum & supremarum potestatum in rebus quæ ad propagationem & tuitionem Ecclesiæ, autoritatem concerit. Addit annotator suas admonitiones ad eos qui ci-viles potestates obtinent, quæ iis verbis concipiuntur, quæ non possunt improbari. Mentem ejus Deus novit, in quam inquirere non est nostrum. Quod de præsidibus Ecclesiarum dicit, quod nunc bellorum concitores maximi inter ipsos repe-

reperiantur, nonnulli eorum ne à bellicis quidem arbitris abstineant, quem, aut quos petat, judicabunt qui non sunt obesæ natis. Vedit credo, viri illius politici, Chronogiam Cardinalium, Episcoporum & aliorum Ecclesiasticorum, qui arma sumpserunt pro servitio principum suorum. Excusa est Lutetiae, cum privilegio Regis, anno 1633. Non negamus veteres Canones tales actus interdixisse clericis & monachis. Sed habent illi suas exceptiones, quas si D. Annotatori libeat expendere, & libros suos de *jure belli & pacis*, hac appendice augerent; poterit ad partes vocare Henricum Ludovicum Rupiposeum Pictaviensem, & ejus Apologia pro se ipso & aliis clericis bellatoribus, examini subjecere, quæ edita fuit anno circ 150 xv. lectu sanè non indigna, iis quibus volupe est paradoxum aliquod ab ingenio non vulgari, & argumentis non è trivio pétitis defensum, audire. Ibi discet frustra objici exemplum primitiæ Ecclesiæ, quæ per tria secula ab armis abstinuit, quamvis Ethnicorum armis & probris impeteretur. Aliud nunc tempus, alios mores postulare. Aliquando rationi consentaneum esse, presbyteros fieri militum duces.

Si qui sint inter laicos adeo teneræ conscientiæ, qui cum videant multa in capitalibus judiciis, multo autem plura & majora in bellis peccari, ab utroque se abstineant, non planè improbandum existimamus, dummodo suæ tenuitatis & infirmi-

firmitatis sibi consciī, nec rem ipsam in se, nec  
qui à talibus non abstinent, existimantes se  
posse per Dei gratiam in his muneribus sine  
Dei offensa versari, superbè condemnent.  
*Quænam sint talium hominum societates, quas  
damnandas autor non censeret, si non ab Ecclesiæ uni-  
versæ corpore se segregarent, quamvis non exprimant,  
digitum tamen intendit ad populares  
suos Anabaptistas & ad Socinianos Poloniæ  
& Transsylvaniæ, quorum plerique qui arma  
nolunt tractare, aut capitalibus judiciis se im-  
miscere, nulla ducuntur conscientiā variis ar-  
tibus in negotiatione & mercatura, proximos  
suos defraudandi: à qua non abstinent, quan-  
quam vix ulla vitæ ratio existat, in qua plus sit  
periculi, ne charitatis regulas excedant. *Recha-  
bitarum & Effenorum institutum*, an ad proposi-  
tum illud faciat, lectorum judicio relinquo.  
Etiam an conveniat eum *dammare* alios qui ab  
Ecclesiæ uniuersæ corpore se segregant, qui hactenus  
nulli Ecclesiæ nomen dedit, & dum omnes  
censura notat, solus sibi applaudit, inter se-  
grees.*

De officio Regum & Imperatorum in re-  
bus Ecclesiasticis multa habet, ut diximus,  
Cassander, commodè & ad rem, dicta. Cau-  
tiones hic adhibitæ etiam locum suum habere  
debent. Reges *cavere debere ne schismati dent cau-  
sam*, extra controversiam ponendum est. At  
multo magis *cavere debent* ii qui se universalis

Ecclesiæ patres dicunt, ne cum Principes, quos appellant Ecclesia filios, tanquam servos, aut saltem pupillos sibi, etiam in temporalibus subjicere volunt; ipsi schismatum causam præbeant, quod sæpè factum esse, quando Pontifices in Imperatorum & Regum jura voluerunt involare, historiæ veteres & recentes testantur. In abusu Ecclesiasticorum beneficiorum utrinque peccari, non potest negari. Reges & Principes sæpè, quæ in pios usus collata sunt, aliò transferre: Sed ipsi etiam Ecclesiastici, in talium honorū administratione, à collatorū mente longius recessisse, certum est. Quæri potest, an passuri sint Episcopi & alii, Reges id curare, ut si multa habeant, detur quod superest presbyteris & diaconis: detur Ecclesiis adificandis aut instaurandis: detur pauperibus popularibus: & si ei defint, extensis &c. Optimum sanè consilium, si executioni mandaretur, & in id consentirent qui debent. Achanis & Ananiæ exemplum, eos terrere debet, apud quos omnia sunt venalia, & quos non pudet vendere potestatem negotiandi de Thesauro sacris cum nomine & autoritate cœlesti, in celissima & præcipua parte Templi, quam negotiationem merito abominandam appellat Guicciardinus Hist. lib. i. & cuius praxim tribuit Cardinalibus qui prece & pretio Rodericum Borgiam ad summum illud fastigium evenerunt. Nescio tamen an hic censor planè improberet, quod Reges ubi status negotia id re-

qui-

quislunt, & subditi omnes conferre aliquid debent ad publicos belli sumptus, ab Ecclesiasticis etiam ea exigunt, quæ non possunt aliundè quam ab iis redditibus desumi, qui Ecclesiis cesserunt, vel ex donatione pia, vel etiam ex œconomorum & dispensatorum industria procuratione, qua ex sepositis, novæ fiunt acquisitiones. Quo enim jure, communiprotectionis beneficio fruerentur, qui tot possident latifundia, nec tamen quicquam conferrent ad publica onera sublevanda? sed de his viderint quibus Reip. cura est demadata. Quod vero insidiosè subjungitur de *resistentia magistratus jubenti vetitæ*; Agnoscimus ab omnibus privatis præsertim viris Ecclesiasticis, à vi abstinentium, contra eos qui iniqua mandata statuunt, & vetita jubent, agnoscendumque *Arma Ecclesia esse preces & lacrymas*. Sed an sit eadem ratio Ordinum publicorum, Principum & Ephororum, præsertim ubi violantur privilegia vetera, nescio an D. Annotator id velit gratificari Hispano, in præjudicium patriæ reipub. cuius ipse membrum fuit quo tempore illa libertatem suam asseruit. Qui etiamnū ministrum agit illius regni, quod justas ob causas profitetur se jugum excusisse Poloni; qui si post exactum inducium tempus, juberet Suecos ut se regem agnoscerent, & eam quam profitetur Religione reciperen; an eis hoc consilium daret legatus, ut amarent potius mortem oppetere

132 ANNOT. ET ANIMAD.  
quam vi resistere? Hoc si faceret, non magna ab iis iniret gratiam.

---

### AD ARTICULUM XVII.

**O**RIGENIS sententia hic non plenè exprimitur. Neque enim tantum voluit finem fore pœnarum, sed & impios homines & diabolos per venturos ad gaudia æterna.

### ANIMADVERSIO.

**I**N Consultatione Cassandri cum aliis ejus Operibus Parisiis edita, ad illum Articulum nihil aliud reperio præter hæc verba; *Articulus XVII. de secundo Christi adventu, nullam inter partes controversiam habet.* In alia igitur editione oportet reperiri, quæ *Annotator* dici ait, *contra spiritus tales, quales in urbe Monasterii quondam apparuere;* & quæ de *Origenis sententia*, non plenè hic expressa scribit, *qui impios etiam homines & Diabolos per venturos ad gaudia æterna voluit.* Potuit addere, ex August. de Hæres. cap. XLIII. Rursus post longissima tempora omnes, qui liberati sunt, ad hæc mala denuò relabi & reverti, & has vices alternantes beatitudinum & misericordiarum rationalis creature semper fuisse, semperque fore. Hic certè deplorandus fuit magni ingenii lapsus, in quo verum illud nimis apparuit, nullum magnum ingenium esse sine admixtione dementiæ. Sibi itaque cavere debent, qui omnia se præsumunt scire, ne illis acci-

accidat quod Origeni de quo Epiph. Hæres.  
 LXIII. εἰς τέλος τὸ κλέθρον διήνυσε  
 συμβέβηκε γὰρ αὐτῷ τὸ πολυπερίεργας εἰς μέχα πλά-  
 μα. non perperuo nominis sui, ac gloria integritatem  
 retinuit: sed tanta doctrina vis & copia, ruina illi &  
 calamitatis occasionem dedit. Item init. Hært.  
 LXV. ἐν αἱρέσει ἀεριθμέμενοι, διὰ οὐδὲν οὐθέλησεν  
 ὑψωχενίαν ἔσωτῷ ἐπιπλάσουσι, καὶ ἐπαρθέλησαν  
 τὴν ἀληθείαν, οὐδὲ ηγουμπώδες αὐτῷ φλυαρείας.  
 Inter hereticos numeratus ob arrogantiam illam, quam  
 adsciscere sibi voluit; & insolenti ac nugarum plenissi-  
 ma loquacitate, adversus veritatem insurgere. Hic  
 est finis eorum qui nimium sibi tribuunt, alios  
 omnes præ se contemnunt, nec sciunt sapere  
 ad sobrietatem.

---

## AD ARTICULUM XVIII.

**L**IBERVM arbitrium nativis viribus & humana  
 institutione valet aliquid, ut rectè hic dicitur, ad  
 res vitæ temporalis,

*Oderunt peccare maliformidine paene.*

Sed ejusmodi innocentia nulla habet promissa vitæ cœ-  
 lestis.

*Nec fursum feci, nec fugi, si mihi dicat*

*Seruus, habes pretium, loriū non ueris, aio.*

*Non hominem occidi, non pasces in cruce cornos.*

Ad vitam cœlestem in Euangelio revelatam ac promis-  
 sam opus est nova genitura, quæ contingit per verbum  
 & Sacra menta, Deo intus operante, & per Spiritum  
 sanctum confirmatur. Neque tamen propriè loquendo  
 mutatur voluntatis substantia, sed qualitas. Et certè ne-

quid nativis liberi arbitrii viribus tribuatur ad vitam spiritualem sive Euangelicam pertinens, ita benè cavit Synodus Tridentina; ut quæcumque Papæ veteres ad Afros aut Gallos in honorem gratiæ scripsere, abundè in ea contineantur. Costerus ait peccatorem viribus suis non modò à peccato liberari non posse, sed nec ab illo posse resurgere, neque de peccato dolorem concipere, neque ad gratiam, aut peccatorum remissionem se disponere, neque piè erga Deum affici, aut pio affectu de Christo ut redemptore suo loqui sine divina motione & gratia præveniente. Tantam esse in eo intellectus cæcitatem, tantam voluntatis & cordis duritatem, ut nisi misericors gratia Dei præveniat, & mentem illustret, affectumque moveat, nunquam serio pœnitentia, vel ad Deum convertatur. Hanc Dei motionem appellari Dei gratiam prævenientem & operantem, quod illum nullis meritis nostris exigentibus, nobisque nihil agentibus, sed in peccato securè quiescentibus, Deus pro sua misericordia in nobis sine nobis operetur, cor moveat, & mentem illustret. Homine vero per prævenientiam gratiam à Deo præparato, Deum menti animoque ipsius per se gratiam atque justitiam, qua peccata omnia auferuntur, & homo ipse constituitur amicus & filius Dei, gratis infundere, homine nec operante, nec adjuvante sed tantum hoc beneficium liberè suscipiente & admittente instar mendici. Rectè & illud Driedo atque alii, gratiæ divinæ auxilium prius esse quavis præparatione; quem sensum sic Prosper expressit, de gratia loquens:

*Hec ut enjusquam studio affectusque poscent,  
Ipsa agit, & cunctū dux est venientibus ad ſe,  
Pérque ipſam nifi curratur, non iter ad ipſam.*

Cœlestinus Papa: *Nemo nisi per Christum liberè urbisrio tendit utitur. Omnis sancta cogitatio & mores bona voluntatis est Deo est. Nec errant qui gratiam ajunt operari partim ad modum physicæ, partim ad modum moralis opera-*

operationis. Quia verò mali initia abundè in nobis habemus per naturam, prauam educationem, & tot exempla, veræ autem emendationis à Deo inseri ac proverbi oportet, hæc est causa, cur veteres in impiis magis præscientiam Dei, in piis magis prædestinationem agnoscant, quanquam nec hæc prædestinatione sine aliqua est præscientia, nec ista præscientia sine decretis: sed denominatio solet fieri *προστασία*, secundum id quod prævalet. Omnia beneficia, quæ non toti humano generi sunt communia, vocantur electionis nomine in sacris litteris; in Euangeliō ea quæ vitam nouam in nobis inchoant, promouentque, & ad vitam æternam ducunt. Cùm autem nihil Deus faciat sine decretis præeuntibus, omnia illa decreta, tanquam ad specialem quandam providentiam pertinentia, prædestinationis vocantur nomine. & quia in illis decretis quædam sunt quorum causa reddi nequit, ut cur hic per Euangeliū vocetur, ille non, hic potentius, ille minus potenter, cur huic prorogetur, illi præscindatur vita, ideo ex illa parte, ut nobiliore, de tota prædestinatione dicitur eam in hominibus causam non habere: non esse ex operibus: imò nec ex fide quidem.

## ANIMADVERSIO.

**I**N hoc Articulo agit Cassander *de libero hominis arbitrio, & de prædestinatione*. De primo agnoscit Confessionem Augustanam *planè cum Ecclesiastica doctrina consentire*. Summam veræ doctrinæ contineri in Concil. Arausicanō II. Hanc doctrinam siores Scholasticos strenue defendisse, adversus Pelagianos, in quibus primum nominat *Thomam Bradwardinum*, qui suo tempore, *doctor profundus* appellabatur,

enjus Opus se vidisse Romæ in Bibliotheca Vaticana meminit, in Epist. Dedicatoria ad Honorii Augustodunensis Dialogum de lib. arbitrio. Si quis autem sit inter Scholasticos, qui Semipelagiorum dogmata accurate refellerit, & nostro tempore in eorum qui ea renovarunt malam gratiam incurrit, is est Thomas ille, quem publici juris factum habemus, opera Henrici Savilii. Huic alium addit Cassander Thomam Aquinatem testimonio Buceri in his articulis sanum. Addit posteà, si qui sint ex Scholasticorum numero qui sint incommodius locuti, id inter privatas opiniones esse repnenduna: laudatque Bonaventuræ sententiam, quam ab iis qui metuunt ne nimium Deo tribuatur, & libero hominis arbitrio derrogetur expensam velim. *Hoc piarum mentium esse, ut nihil sibi tribuant, sed totum gratia Dei, unde quantumcumque aliquis det gratia Dei à pietate non recedet, etiamsi multa tribuendo gratia Dei, aliquid subtrahit potest in natura vel liberi arbitrii: cum vero aliquid gratia Dei subtrahitur, & natura tribuitur quod gratia est, ibi potest periculum intervenire.*

Ad hunc articulum D. Annotator complura habet quæ ad concordiam in hac materia, viam possent aperire, si modo verbis non incommodis, sensus omnium responderet. Ut, quod liberum arbitrium nativis viribus & humana institutione aliquid valet ad res vita temporalis. Quod ejusmodi innocentia qua quidam fômidine pœna

næ oderunt peccare, non habeat promissa vita cœlestis. Quod ad vitam cœlestem opus sit nova genitura per verbum & sacramenta Deo intus operante &c. Quod vero ait Synodum Tridentinam benè cavisse, ut, quæcumque Papæ veteres ad Afros aut Gallos in honorem gratiæ scripsere, adundè in ea contineantur ; mirum est si id verum sit, inter eos qui huic Synodo adhærent tot lites & controversias etiam hoc tempore mereri, necdum potuisse sopiri à Pontificibus Romanis, qui quamvis modum aliquem ponere voluerint disputationibus, nondum tam tot lites dirimere aut potuerunt, aut voluerunt. Quæ nunc dissidia in Academiis Lovaniensi & Duacensi exorta fuerint, post evulgatum, cum authenticis Privilegiis, Augustinum Cornelii Janssenii Episc. Ypresensis, testantur adversaria Scripta partium, in quibus se mutuo proscindunt, & omnes pro se Concilium Tridentinum advocant. Nec mirum, quia Concilium illud, cum videret apud suos rem esse variis disputationibus agitatam, nec unam partem alteri cedere, meros cothurnos in suis canonibus, omnium dissidentium apud se pedibus adoptarunt, ut videre est apud doctissimum autorem Historiæ Concilii Tridentini. Gratiam quidem verbis commendat, & Pelagianum dogma rejicit. Sed cum inter Theologos Pontificios de gratiæ illius vi & efficacie disquiritur, in partes abeunt, nonnullis

nullam aliam gratiam agnoscētibus præter eam quæ suadeat quidem, vel verbis extra, vel etiam intus inspiratione; sed tamen quæ non persuadeat: atque ita omnem gratiæ efficaciam à liberi arbitrii determinatione suspendunt, quod motionem divinam qualecumque suo arbitratu, vel sequitur, vel abjicit. Alii autem eam gratiam agnoscunt ejus salutaris motio *invincibilis* est, ut loquitur Fulgentius, & à nullo duro corde respuitur, ut docuit Augustinus. Verba Costeri hic allata mirè commendare videntur vim gratiæ, & contra deprimere vires humanae, quod gratiam prævenientem & operantem, nullus meritus nostris exigentibus nobisque nibil agentibus Deus operetur in nobis sine nobis, ut cor moveat & mentem illustret. Non errare etiam eos qui gratiam a jure operari partim ad modum physica, partim ad modum moralis operationis. In his omnibus, si verba spectemus, nihil est quod impingat in scopulum Pelagianismi, adversus quem verba non Driedonis solum, sed maximè Prosperi, & Cœlestini Episc. Romani ex doctrina Augustini nos muniunt. Pelagius sèpè loquutus est cum Orthodoxis, & aliquando eis imposuit. Sed latebat in cauda venenum. Nullam gratiam agnoscet quæ non irrita fieri posset à libero hominis arbitrio, cui illa non deberet in fidelibus, quod ei locum darent; ita ut posita gratia, & omnibus ad credendum vel agendum prærequisitis, in potestate liberi arbitrii

ma-

manceret agere vel non agere , credere vel non credere, dare locum gratiæ , vel eam rejicere : atque ita homo seipsum discernat. Hoc volunt verba hic intertexta , *homine nec operante nec adjuvante, sed tantum hoc beneficium libere suscipiente & admittente, instar mendici.* Hic latet totum mysterium , quasi gratia ita offerretur ab extra , ut loquuntur , quemadmodum stipes mendico , quam quidem non habet à se ipso , sed tamen ejus maximo desiderio tenetur , & validas habet manus quibus beneficium apprehendat , nec desiderium illud , vel manus extensionem debet largitori suo. Homines autem tales mendici non sunt apud Deum. Sunt omnes manci in acceptandis beneficiis gratiæ , nisi gratia ipsa in iis efficaciter operetur ut possint & velint. Quod igitur maximum est in eo, detrahitur gratiæ , atque homini tribuitur , si tota gratiæ efficacia pendeat ab ejus arbitrio. Hic nodus est vindice dignus , & totius negotii cardo.

Doctrinam de Predestinatione, in sequentibus, paucis verbis perspicuè comprehendit Cassander. Hac, inquit, sit ratio predestinationis, ut quibus Deus eternam vitam dare predestinavit, iisdem & gratiam qua justificantur , & justificati bene operentur, dare prædestinaverit. His si acquiescat D. Antonator , & aliis quæ fusè persequitur in Epistola præfixa libro Honorii , & iis quas in calce libri excerpit & laudavit ex Augustino sententiis,

tiis, ei ex animo gratulabimur, quod in eo veritati nomen dederit. Si minus, nos adiget, ut inter cothurnos annumeremus, quicquid ha-  
ctenus dixit de libero arbitrio, viribus huma-  
nis, & gratia Christi: quandoquidem uno ver-  
bo hæc omnia destruuntur, si in ea sententia  
persistat, quod homo se ipsum discernat, ejus-  
que electio pendeat ab ea fide prævisa, ad  
quam homo ipse disponit sese, & quæ à Deo  
ipsi non detur ita ut eam rejicere non possit,  
nec agnoscat agere Deum quod vult in cordibus ho-  
minum, vel adjuvando vel judicando, ut etiam per  
eos impleatur, quod manus ejus & consilium prædesti-  
navit fieri. August. de prædest. Sanct. cap. x x.  
Item: quod qui credunt Euangelio predicato, intus  
à patre audiunt atque discunt, qui autem non cre-  
dunt, foris audiunt, intus non audiunt neque discunt,  
hoc est, illis datur ut credant, illis non datur, quia ne-  
mo, inquit, venit ad me, nisi pater qui misit me,  
traxerit eum: quod apertius postea dicitur, Propterea  
dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi ei da-  
tum fuerit à patre meo. Ejusdem lib. c. viii.

Veræ emendationis initia à Deo inseri ac  
provehi oportere, verum est. Sed annon etiam  
progressus, ita ut ad omnes actus bonos gratiâ  
opus sit? Quæ subjiciuntur, de veterum circa  
insurpationem præscientia & prædestinationis vo-  
cum, respectu impiorum, vel piorum, ita ex-  
plicata ut nec præscientia sine decretis, nec prædesti-  
nationis sit sine præscientia, ferri possunt; dummodo  
præ-

præscientia illa, sine qua non est prædestinatio, non intelligatur de iis quæ scit vel prævidet Deus in hominibus, eaque considerat tanquam causas, aut saltem conditiones præquisitas ad prædestinationem, nempe bonum usum liberi arbitrii &c. In sacris literis omnia beneficia quæ non toti generi humano sunt communia, vocari electionis nomine, nescio an de omnibus probari possit: Sed id ad rem non multum facit. Hoc magis, quod sic vocentur in Euangelio, ea qua vitam novam in nobis inchoant, promoventque, & ad vitam aeternam ducunt. Si modo hæc conjunctim intelligantur; sic enim ad solos pertinent electos. De reliquis idem esto judicium quorum causa reddi nequit, quod de tota prædestinatione dicatur eam in hominibus causam non habere à nobiliore parte, nec esse ex operibus, imò ne ex fide quidem. Hoc si quis verè credat, noster est:

## AD ARTICULUM XIX.

**A**LIA est causa cur homo in nativo statu aptius non sit ad vitam cœlestem, alia criminum quibus poenas Deus minatur. Hæc enim ex libera voluntate procedunt. Deinde quanquam Euangelica gratia suo demum data est tempore, & ne nunc quidem contingit omnibus, est tamen gratia quædam, ut loquitur scriptor libri de vocatione gentium, parcior & occultior, sufficiens quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium. Quibus donis auctorem suum per omnia secula pro-

protestantibus specialis gratia sit circumfusa. Vide disquisitionem de Pelagianis dogmatibus. Recte autem dicit Confessio Augustana, premissionem quæ sit per Euangelium esse universalem. De quo vide eandem disquisitionem. Agit hic Cassander etiam de præscientia, cuius conciliationem cum libero arbitrio Cajetanus putat tam difficultem, ut in hoc ævo eam non sit assequi. At Maimonides intelligi eam ait à paucis sapientibus. non autem opus esse, aut expedire ut distinctè explicetur populo, pro diversitate modi prænoscendi & decre-tis intercedentibus.

## ANIMADVERSIO.

**I**N hoc articulo, paucis egit Cassander de causa peccati, & præscientia Dei. Causam peccati esse voluntatem Diaboli & impiorum, nec ullo modo in Deum transferendam esse. Quod piè & sanctè dictum agnoscimus, ita tamen ut dicamus Deum non esse peccantium & peccatorum otiosum spectatorem, sed de iis quæ Diaboli & homines male agunt, ita disponere, caque sic ordinare, ut in bonum finem ab eo deducantur. Præscientiam etiam apud Deum esse, omnium quæ eveniunt bonorum & malorum; & eorum quæ præscivit certum esse eventum, quandovis necessitas illa consequentia, quam vocant, nullam rebus permittendis afferat necessitatem consequen-tis. Hanc difficultatem de conciliatione præ-scientiæ cum libero arbitrio, quæ olim Cicero-nem fecit sacrilegum, & hoc tempore So-cinia-

cinianos; agnoscimus cum Cajetano, in hoc ævo hominem vix assequi posse, & Deo esse committendam, ita ramen ut nihil attribuantur Deo indignum ejus sapientia & potentia; nihil hominibus, quod Deo detrahatur. Qua de re, digna sunt observatione quæ hic refert Cassander ex August. de civit. Dei lib. v. c. 8. Ut mirum sit hanc difficultatem adeo facile expediri à novis quibusdam autoribus, *scientia media*, quam vocant, & excogitarunt, interventu. Qua de re pluribus egimus, Cathol. Orth. tract. iv. quæst. 6. vide Confess. Eccl. Gal. art. viii. & Belgic. art. xiii.

Quæ his immiscet doctiss. Annotator non videntur respicere ad ullum locum Cassandri in hoc articulo. Ad priorem potius referri deberent, ubi egerat de prædestinatione. *Ait, aliam esse causam cur homo in nativo statu aptus non sit ad vitam cœlestem, aliam criminum quibus pœnas Deus minatur.* Fateor me vix percipere quid his verbis sibi velit; cur nativum hominis statum, hic opponat criminibus, &c. Si per nativum hominis statum intelligat eum in quo nascimur communi labe infecti, in eo non solum, non apti sumus ad vitam cœlestem, sed morti æternæ sumus obnoxii; itaque huic etiam statui Deus non solum minatur, sed etiam infligit pœnas. Si de primi hominis statu ante peccatum loquatur, de simili propositione jam diximus ad Artic. I I. & negamus verum esse,

homi-

hominem cum primum conditus est, promissa nulla habuisse vitæ cœlestis, nec data ei fuisse vires tali præmio respondentes. Ait, *crimina ex libera voluntate procedere*; Et hoc quidem verum est; sed qua ratione ex eo sequitur, *hominem in nativo statu, aptum non esse ad vitam cœlestem?*

Ait II. *Euangelicam gratiam suo datam fuisse tempore, & ne nunc quidem contingere omnibus.* De quo inter nos convenit. Sed *quamvis* hoc ita sit, vult esse gratiam quandam, ut loquitur scriptor de vocatione gentium, *parciorem & occultiorem, sufficientem quidem quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* Si quis gratiam accipiat pro communibus beneficiis, quibus Deus in humaanum genus largus est, & pro ea Dei manifestatione quæ in libro naturæ nobis offertur, improptè *gratia* nomen imponit *natura*, quod Pelagianis fuit usitatissimum. Falsum etiam est, *talem gratiam quibusdam ad remedium fuisse sufficientem;* & nunc extra patefactionem Euangelii ullam esse quæ ad salutem sufficiat. Communem autem illam patefactionem omnibus *ad testimonium sufficere*, id est ut sint *ἀναλόγοντες*, docet Paulus ad Rom. i. v. 20. Quod citatur ex autore libri de *vocat. gentiam*, habetur lib. ii. cap. xv. Ubi non agit de gratia quæ nunc contingit omnibus, quibus non est perfectum Euangelium. Sed de dispensatione Dei ante manifestatum Christum. Instituit enim comparationem inter illa tempora, & tempus Eu-

Euangelii, quo larga manu Deus gratiam illam effudit, & tempus illud quo cura Dei filio Israëlitarum providebat: ostenditque gratiam qua in omnes gentes novissimè effluxit, non evacuasse eam qua super unum Israël sub lege roravit: Sic etiam, qui in comparatione electorum (id est electi Israëlitarum populi, ut ex toto argumento patet,) videbantur abjecti, nunquam manifestis occultisque beneficiis fuisse abdicatos. Per hæc autem beneficia, intelligit, testimonium, quod semper Domino deservivit, & nunquam de ejus bonitate & potestate conticuit, nempe totius mundi machina inenarrabilem pulchritudinem, & inenarrabilem beneficiorum ejus divitiam & ordinatam largitionem, &c. Sic enim eam explicabat lib. i i.c. iv. Quæ postea repetit initio cap. xv. his verbis. Adhibita est semper universis hominibus quadam superna mensura doctrina, qua et si parciорis, occultiorisque gratia fuit, sufficit (lege, suffecit) tamen, sicut Dominus iudicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium. Unde colligit, quod nunc quoque universum genus humanum similis occaecares impietas, nisi superabundaret gratia, ubi peccatum abundavit, nec existimandum esse nunc meliora nasci ingenia quam ante Christi adventum, & aptiores divinis donis animas, cum illo tempore quo Christus advenit iniquitas inventa fuerit robustior. Ut mirabilior esset gratia Dei & potentia, qua de tam duris animis, tam tenebris mentibus, tam inimicis corribus fecit sibi populum fidelem. Ex quibus appa-

ret, verba illa autoris non respicere tempus Novi Testamenti; sed conditionem hominum ante Christum, eorum maxime quæ non erant è republica Israëlis, quibus eam tribuit gratiam quæ omnibus ad testimonium sufficiebat. Quod autem nonnullis ait sufficisse ad remedium, non intelligendum est sufficisse per se, sed fuisse nonnullos, qui per beneficiorum communiam largitionem, addita speciali & efficaci gratia ad remedium pervenerint, quod accidit paucis, quales fuerunt extra populum Israëlis, qui speciali revelatione, vel populi Dei exemplo, gratiæ salutaris fuerunt participes facti, aliis in impietate detelictis. De hoc autem auctore consulat Lector Admonitionem docti viri Joan. Latii, lib. 2. de Semipelagianis. Quod autem ex Confessione Augustana refertur, promissionem factam per Evangelium esse universalem, verum quidem est, esse universalem credentibus aut credituris. Sed cum fides non sit omnium, non minus constat incredulis non fuisse promissionem. Qui autem ad disquisitionem suam de Pelagianis dogmatibus, nos allegat, poterit etiam legere Gratiani Civilis Censuram Epistolarem, pro sententia Augustini contra Semipelagianos, adversus Hugonem Grotium. Item Latinum de Pelagio & Semipelagianis. Sed maxime Historiam Pelagianam inspersam Antiquitatis Britanniæ Ecclesiastum, à viro Magno, Iacobo Vssorio Arch. Armachano cap. ix. x.

XI. XII. XIII. & XIV. Item ejusdem Historiam Gotteschalci &c. Et Cornelii Janssenii nuper Ypresensis Episcopi, libros octo de Harefi Pelagiana.

---

## AD ARTICULUM XXI.

**V**TILLA est in disputationibus abstinere verbis ambiguis. Invocatio dicitur, & oratio ad Deum, quā ab ipso, vt omnipotente, bona & æterna & temporalia perimus: & humani auxilii aut etiam deprecationis pro nobis imploratio. Adorationis quoque vox ambigua est: propriè enim significat signum honoris, quod apud multas gentes exhiberi solebat manum admovendo ori: à nonnullis verò sumitur hæc vox in priore illo sensu invocationis. Ob hanc ambiguitatem adorandi voce, vbi de Sanctis agitur, non utitur Synodus Tridentina. Honos Martyribus debetur, non is modò qui Sanctis viventibus, sed major multò, quia eos jam cum Christo regnare docet Apocalypsis v. 11. 14. 15. 16. xx. 4. fruuntur, vt loquuntur veteres, prærogativa resurrectionis: sunt jam nunc *Ιεράγοντες*, sicut alii futuri sunt post universalem resurrectionem. Itaque cùm eorum sit mentio, honoris eximii signa illis exhibere, etiam celebrare eorum memoriam diebus ad id electis in eo loco vbi martyrium passi sunt, Beatae verò Virginis & Apostolorum vbiique, nihil habet mali. orate eos pro Ecclesia agnoscunt Protestantes. Sed aliter illos pro nobis intercedere, aliter Christum rectè notat Costerus: illos ut supplices Christum ex parte jure. Cùm verò regnum illud quod jam nunc habent sub Christo, aliquam requirat notitiam, ea quæ & quanta sit difficile est definire. Sed quod veteres probabile putaverunt docet hic Cassander, & M. Antonius de Dominis libr. v. 11. c. XII. 7. & sequentibus, ad quem lectorem remitto. Ac sicut

Catholici eos non improbat qui ad Deum & Christum, prætermisis Martyribus, preces suas deferunt; ita inique faciunt Protestantes, quod idolatriæ dominant eos, qui multorum veterum sententiam securi putant nostrarum necessitatum & precum notitiam aliquam ad Martyres pervenire, aut Dei revelatione, aut Angelis internuntiis: quo posito etiam implorationem recte fieri concedit Calvinus. Cæterum à multis modum excedi, negari non potest: idque Protestantibus hunc totum morem reprehendendi, id est, alia ex parte modum excedendi, occasionem dedit. Orandi sunt Episcopi, ut totum hoc quia periculo non careret, neque Synodus Tridentina eam quam voluit emendationem asecuta est, si fieri potest, ex communis liturgia & homilia tollant: fin minus, temperent: quod fieri poterit Sanctos laudando potius quam alloquendo, & Deum orando ut Sanctorum pro nobis preces gratas habeat. Nec illud quidem quicquam habet impii, orare Deum ut propter Sanctos, qui in eadem nobiscum communione fuere, & ad eorum quoque piæ facta respiciens, nobis benè faciat. Videmus enim sic veteris Testamenti homines Deum obtestari ut ipsis parcat propter Abrahamum, propter Isaacum, propter Jacobum, propter Davidem, idque Deum fecisse, ut i. Reg. xv. 4. neque minor est nostra cum Martyribus spiritualis conjunctio, quam illa carnalis populi Hebraici cum Patriarchis. Bucerus in Ratisbonensi disputatione agnoscit Deum Sanctorum suorum opera remunerari, non tantum in ipsis, verum etiam in iis qui ad ipsos pertinent, & pro quibus ipsi intercedunt. Leo Papa ait horum meritorum vim pendere ex merito Christi: Lovanienses quidam moveri Deum per Sanctorum merita (quo sensu sic dicantur ex iis quæ supra dicta sunt intelligi potest) ut Christi merita nobis applicet. Cæterum cum modus etiam in hac re non semper servetur, ut hic notat Cassander, & non uno loco Espensæus, & Synodus Tri-

Tridentina nihil dixerit hac de re, nihil mali esset si in oratione ad Deum tantum Christi meritorum fieret mentio, ex quibus fluunt & quibus cohærent cætera. Ut ad monumenta Martyrum concurseret populus, ibique Deum oraret, mos est vetus, aitque Chrysostomus, de Babyla agens, ea ratione maximè infigi animis Martyrum memoriam. Mos verò sub altari ponendi reliquias, alludit ad Apocalypseos locum vi. 9. Et rectè fecit Jacobus Britanniarum rex cum agnovit verorum Martyrum veris reliquiis honorem, sed sui generis, id est, propter Martyres deberi, nec aliud dicit Bellarminus. Et hac in re hominibus Deus ipse præivit reliquias Sanctorum honorando, ii. Regum xi. 21. Similia habes Actor. v. 15. xix. 12. Quod verò propter exiguum utilitatem & multos abusus Cassander mallet abstineri ostentatione & circumgestatione Reliquiarum, in eo, ut in multis aliis rebus, piam ostendit prudentiam; sicut & rectè monet, Ecclesiarum Basílicas omnes Deo & Christo dicatas, non Sanctis, etiam illis quorum ibi peculiariter memoria celebratur. Ad imagines quod attinet, primum pictas ne Hebreis quidem generaliter fuisse interdictas ad decalogum ostendimus, cuius præcepto secundo Hebrei vetantur ulla facere imagines extantes, quovis in loco. Josephus: Οὐδὲ αἰχματοι τῆς πόλεως δεῖχνασθαι, nullum in urbe sinunt ponī simulachrum: & alibi, Οὐδὲ θεῖς οὐ δεῖχνασθαι, οὐχ ὅπως αἰδόπος, οὐ τὸν τραῦμαν, αλλὰ τὸν εἰκαστὸν τότε θεῖας θευτὸν. Nec Dei nec homini simulacrum ponere illis licet, non modo non in templo, sed nec in profano loco. Tacitus: nulla simulacra urbibus suis, nedium Templis sunt. Alterum quod eodem præcepto illis vetatur est, ne ullum signum honoris exhibeant apud imagines. Neutrum naturale esse & perpetuum satis appetet Cherubinorum argumento, apud quos sumimus Sacerdos post anniversarium sacrum Deum venerabatur. Positiva autem illa quæ fuere in lege veteri, & nihil ad mores pertinentia, sed Iudeos

separantia à gentium institutis, nihil obligant Christianos, non magis quām lex Sabbathi, quæ & ipsa in Decalogo est posita. Propterea Christus cūm perpetuō mansura Decalogi præcepta repetit, horum nullam facit mentionem. Cūn verò multæ superstitiones occasione imaginum irreperserint, neque eas tollere, ut voluit, potuerit Synodus Tridentina, & Judæi ac Mahagnetistæ earum aspectu multū avertantur à Christianismo, & Græci pietas tantum tabulas habeant, pri- mū ex vñ sit auferri Dei imagines, quod Episcopi quidam fecere, & communiter fieri placuerit in colloquio Possiaceno: Christi verò & Sanctorum imagines, ubi receptæ nō sunt, non poni: quia & auferri ē publicis locis ubi sine offensa plebis id fieri potest, repositis in earum locum tabulis historias sacras continentibus: id si non potest, gnavoriter doceri populam, usum imaginum vnicum esse memoriam revocare; nullam autem esse in illis vim divinam aut beneficam, quod & Synodus Tridentina rectè monet. Sollicitè verò cavendum, ne quamvis sub favorabili obtentu paganorum in hac re mores in Christianismum reducantur: nec defadenda, quæ Scholasticis, magis se vulgo quam panegyristis accommodantibus, improvidè exciderunt.

## ANIMADVERSO.

**I**N hac annotatione agitur de *invocatione Sanctorum* & eorum cultu, *de reliquiæ eotum*, & *de imaginibꝫ*, adeo perplexè & dubitanter, ut attente legenti difficile non sit agnoscere, vñrum doctum sibi vim fecisse, ut ea profertet quæ simul subsistere non possunt, & rhetorum more in problematicis, in quibus opinari, pro & contra, cuique liberum est, religionem etiam nobis

nobis fabricaret in qua quisque quod sibi commodum erit, eligat. Primum igitur docet non esse damnatos qui existimantes aliquam precium notitiam ad Martyres pervenire eos implorant. 2. Quia modus à multis exceditur, id fieri posse, laudando potius Sanctas quam alloquendo. 3. A Deo petendum ut propter pia Sanctorum facta nobis bene faciat: Sed quia neque in eo modus servatur, nihil malis esse si in oratione ad Deum tantum Christi meritorum fieret mentio. 4. Reliquiis veris deberi honorem sui generis. Cassandum tamen piam ostensionem prudensiam in eo, quod mallet abstineri ab ostentatione & circumgestatione reliquiarum propter exiguum utilitatem, & multos abusus. 5. Non esse prohibitas imagines Christianis, quia Lex illa Decalogi ad eos non pertinet. Ex usu tamen esse auferrē Dei imagines, quod Episcopi quidam fecere. Christē & Sanctorum imagines, ubi recepta non sunt, non possunt auferrari, et publicis locis, ubi sine offensa plebis id fieri potest; nec defendenda, que Scholasticis, magis se vulgo quam par erat accommodantibus, improvidè exciderunt. Quisquis apud se statuet, in cultu religioso, nihil suscipi debere nisi fide praeunte, quia peccatum est quicquid sit sine fide; in his omnibus eam sequetur viam, quæ sola certa est, etiam annuentibus adversariis; abstinebitque à semitis obliquis, in quibus ipsi non acquiescunt, nec differentur per eas in errorem multos esse lapsos. Itaque non opus esset ut in argutius refellendis tempus insumeremus, qui-

bus D. Annotator cohatur his superstitionibus patrocinari: saltetn eas elevate. Sed quia hic ei libuit ambiguis ludere; non erit abs se, si aperte cum eo agamus; idque obseruemus, quod ille initio monuit, *Neile esse in diffinitionibus abstinent verbis ambiguis.* Invocationis & adorationis voces esse ambiguas verum est. Sed ambiguitas tolli potest, si addamus epithetum *religiosas.* Tunc Deo soli manebit honor adorationis & invocationis, quia uni Deo omnipotenti nos religat religio. Adorandi voce ubi de Sanctis agitur, si non utatur Synodus Tridentina, sape usia est, & expresse, Synod. VII; Nec ab ea abstinent Pontificii scriptores abicunque de cultu adorationis agitur. Ait Synodus Trident. *Sanctos esse venerandos & invocandos suppliciter, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confiendum esse, &c.* Neque hoc sit, aut fieri potest sine adoratione eaque religiosa; quod nemo Doctorum Pontificiorum negabit.

Honorem non Martyribus solum, sed etiam omnibus Sanctis beatis deberi; & maiorem multò quia cum Christo regnant extra conroversiam est apud nos. Sed honor ille non consistit in iis honoris signis quibus in his terris eos quos videmus & alloquimur, honoramus. Alia ratio est honorandi viros sanctos quorum praesentia non fruimur: quomodo apud Syracusam honorantur viri gloriosi, quorum corpora sepulta erant in pace, sed nomen eorum preuebat in generali.

generationem quamque, cap. XLIV, XLV, XLVI, &c. seqq. usque ad L. ibi non invocantur religiose, non procumbunt qui de eorum laudibus verba faciunt; non eis thure litigunt; non candele se offeruntur &c. Celimus ergo martyres eontra dilectionis & societas quo & in hac vita coluntur sancti Dei homines, quorum cor ad saltem pro Evangelio veritate passionem, paratum esse sentimus. At nemo est, nisi prorsus insaniat, qui in hac vita virum sanctum absentem oret, aut ei reverentiam corporis inclinando exhibeat. Pergimus ergo cum Augustino contra Faustum lib. I. cap. XXI. *Ilos tanto devotius honorandos quanto secundum, post incerta omnia superata: quanto etiam fiducione laude predicamus jam in vita feliciore victores, quam in ista abhuc usque pugnantes.* Honor ergo eorum legitimus iste, ut laudes eorum, sicut viventium qui à nobis absunt, predicamus, eorum mentionem honorificam faciamus, eorumque fidem & constantiam imitemur. Agnoscimus cum Peregrino Ayala, de trad. Apost. patr. 3, de veter. reliq. precipuum honorem & cultum Sanctorum, in rebus de eorum gratia & virtutibus opinemur, puriorer. & in morum, & vita eorum imitatione consistere. Hoc igitur libenter facimus quotiescumque occasio postulat. Sed ut in eum finem queramus loca ubi Martyres passi sunt, dies festos instituamus, id neque postulat debitum eis honor, acque fieri potest sine onere & servitute intollerabili, pro tanta Sanctorum multitudine.

K 5

dine.

dine. Addimus festos dies ad Larrien pertinere.

Protestantes agnoscere quod Sancti pro nobis intercedant, aut pro nobis oreantur, ambiguè dicitur. Id forte de generali oratione pro Ecclesiæ complemento, pro fidelibus militantibus in genere, agnoscunt quidam; quod etiam nos existimamus pie credi posse: Sed quod pro omnibus & singulis, pro omnium & singulorum necessitatibus oreantur, id neque credimus neque verum est. Nec sequetur, si pro nobis orarentur, eos propterea à nobis esse invocandos, cum vera invocatio ex intimo cordis fieri debeat, nec aliter grata possit esse. Non sunt autem Sancti cordium scrutatores. Aliquam nostrum Sanctis absit ut destrahamus; sed eorum omnium quae hic sunt auctoritatem, quæ dicuntur & cogitantur notitiam, ne probabili quidem aliqua ratione eis concedere possumus. Nec si veteres id probabile preservaverint, conjecturis & probabilitibus tantum iniungi debemus, in iis quae ad religiosam cultum pertinent: Et fatetur ipse annotator, difficile esse definire quae & quantas si Sanctorum illorum notitia. At invocandus est solus qui omnia novit. Et quia Cassander falsum esse voluit, quod Apologia Confessionis Augustanae ait, nullus veteres Scriptores ante Gregorium fecerint enim invocationis Sanctorum; dicitque in propositu esse testimonia Origenis, Athanasi, Basilii &c. Legatur, præter ceteros qui testimonia illa expenderunt. Gulielmi Riveti, fratri mei, tractatus accu-

accuratissimus, de origine invocationis & adoratio-  
nis Sanctorum defunctorū, Gallicè editus Salmurii  
cl̄o loc. xxxiv. His addatur judicium VVice-  
līi, unius ex moderatoribus D. Annotatoris,  
in libro de semitīs antiquis, in quo sic loquitur.  
*Taxanda est & prorsus ex Ecclesia est ejicienda consue-  
tudo invocandi sanctos homines, qui ex hac vita dece-  
serunt, quia hic nos gloriam soli Deo debitam trans-  
fert ad homines, tribuit mortuis omnipotentiam, quod  
Sancti aspiciant hominum corda, tribuit item mortuis  
officium mediatoris Christi, & haud dubiè obscurat  
gloriam Christi. Idē totum morem invocandi sanctos  
homines, qui ex hac vita discesserunt, damnamus, &  
fugiendum esse censimus. Sed illud prodest, recitare  
veras historias piorum, quia exempla utiliter docent,  
si rectè proponantur.*

*Orare Deum per sanctos, nihil habere impii, etiam  
ambiguae dicitur. Si in oratione mentionem  
faciamus Sanctorum cum quibus Deus fœdus  
contraxit & ad quos præmissiones illas direxit,  
in quantum partem pii omnes veniunt; pius est  
à Deo petere ut meminerit præmissionum sua-  
ram & fœderis contracti, cum Abrah. Isaaco,  
&c. Sed ut per eorum merita petamus nos à  
Deo exaudiri, id neq; piè neq; prudenter fieri  
potest. Jejunè satis dicitur, nihil malifore, si in  
oratione ad Deum tantum Christi meritorum fieret  
mentio. Non sufficit si nihil mali nos facere exi-  
stimemus; statuendum est quod facimus in  
oratione, esse Deo gratum & ab eo manda-  
tum.*

tum. At unus Christus nobis datus est per eu-  
jus merita nos exaudiendo<sup>s</sup> esse speremus, qui  
semper vixit ut pro nobis intercedat. Quod ad  
monumenta Martyrum concutiebat Populus,  
id aliquem usum habuit, quo tempore ad  
martyrium animabatur fideles, & levientibus  
persecutionum procellis. Sed res posteā sub  
Christianismo obtinente, transiit in abusum.  
*Mos sub altari ponendi reliquias, novus est, & à pri-  
ma antiquitate remotissimus. Edat si possit D.*  
Annotator ex veteribus Ecclesiæ scriptoribus  
aliquid unde probet quod sub *mensa*, aut, ut  
loquuti sunt impropriè, altari, in quo celebra-  
batur Eucharistia, reposita fuerint ossa Sancto-  
rum defunctorū; nec aliter potuisse aut debuisse  
in eum usum conservari. *Alludit, inquit, hic  
mos ad Apoc. locum vi. 9. At hoc est ludere in re se-  
ria, & ab ludere, non alludere, & veritatem Scri-  
pturæ ludibrio exponere. Altaris unius sit mé-  
tio, sub quo animæ martyrum clamabant: non  
myriadum altarium in toto terrarum orbe, qui-  
bus includuntur ossa martyrum, si tamen marty-  
rum, ut loquitur August. Quanto rectius Am-  
brosius sive Berengandus in huic locum. Altare  
Dei Christus est. Anima igitur Sanctorum sub altare  
quiescunt, quia sicut capiti supposita sunt membra ei-  
que coherent: ita & anima Sanctorum in cœlesti glo-  
ria constituta, Christo salvatori subjecta sunt, eique  
per conjunctionem membrorum nectuntur. Et Hay-  
mo: *Sunt eo sunt, quia capiti suo coaquari non possunt.**

Et

Et Thomas sive Aquinas, sive Anglicus: *Per adorare, signatur Christus, in quo & per quem Deo patre offerre debemus, quicquid boni agimus.* Atethas putat alludi ad Altare holocausti, quo repræsententur martyrum supplicia. Anselm. Laudunensis, etiam per Altare Christum intelligit. Etmi. Sa. Christi protectionem, qui velut Eccles. Cathol. altare, in quo omnia offeruntur à fidelibus. Sic Mariana &c alii.

Recte fecisse Regem Mag. Brit. Iacobum, cum agnoscit veris reliquiis honorem sed sui generis, id est, propter Martyres, deberi, nec aliud dicit Bellarminus. Hic iterum ambiguo luditur. Honorem veris martyrum reliquiis deberi, nemo Christianus negat. Sed quæstio est, an Rex Iacobus & Bellarminus, in honoris illius definitione convenienter, vel etiam in honoris illius externis signis? Id sane dici non potest. Verba Casauboni Regis nomine in Epistola ad Card. Perron. hæc sunt. *Omittit reliquiarum adorationem religiosam que & docetur bodiè & exhibetur ut res necessaria, neque plurimum certè ad salutem conducens.* An Rex ille unquam coram reliquiis procubuit? An eis cereos obtulit? an thura adolevit? Id Bellarminus laudat, non Rex. qui furti insimulat Pontifices in eo quod surripiant honores Deo debitos, dum præstigiatoriis arcibus, jubilis, indulgentiis, RELIQVIIS, & id genus alii efficacibus delusionibus, animos hominum nundinantur. In præfat. monitoria. Deum præuisse in honore reliquiarum talis, qualis à Bellarmine & aliis assertur, tam falsum

sum est, quam quod falsissimum. De quo vide  
quæ diximus Orthod. Cathol. Tract. 2. Quæst.  
54. Si quis etiam atq[ue]nt[em] legat quæ h[ab]et  
Cassander, aut necessarium erit D. Annotatori  
expungere maximam partem eorum quæ pro-  
fert; aut ad marginem annotare, His magister  
non tenetur; præsertim cum prudenter conclu-  
dat, multo consilium videri ut ab omni reliquiarum  
ostensione abstineatur, & populus ad veras Sancto-  
rum reliquias calendas, id est, exempla pietatis & vir-  
tutum, quæ in scriptis, vel ab ipsis, vel de ipsis extant,  
imitanda provocetur. In talium reliquiarum ve-  
neratione tali, nullum est idololatriæ pericu-  
lum. Videat D. Annotator suum Erasnum; in  
Peregrinatione Religionis ergo.

De imaginibus Dei, Christi & Sanctorum  
priusquam agat, hoc præmittit, quod picta imagi-  
nes Hebreis non sunt interdicta & quod id in Decalo-  
gum ostenderit; cuius præcepto secundo vetantur illas  
facere imagines extantes quovis in loco. At hæc  
quomodo constare possint non video. Si pictæ  
imagines eis non sint interdictæ, quare præcep-  
to secundo vetantur illas facere? Alterum  
quod dicit eodem præcepto vetari, fuit, ne ul-  
lum signum honoris exhiberent apud imagines. Nea-  
trum naturale esse & perpetuum vale appareat ex  
Cherubinorum argumento. At hoc argumen-  
tum nullius esse momenti olim ostendit Ter-  
tullianus, adversus Idololatras, qui eodem ac-  
gumento se tuebantur. Bene, inquit, quod idem

Dens

Deus qui lege vetuit similitudinem fieri, extraordina-  
 rio praecepto serpentis similitudinem interdixit. Si  
 eundem Deum observas, habes legem eius, Ne feceris si-  
 militudinem. Si & præceptum facta postea similitudi-  
 nis respicias, & tu imitare Mosèm. Ne facias adversus  
 legem simulachrum aliquod, nisi & tibi Deus iussit.  
 Hic duo habemus. I. Quod præceptum illud  
 obligaverit Christianos æquè cum Judæis. II.  
 Quod sine præcepto speciali, nullæ debeant  
 fieri imagines, quod de religiosis imaginibus  
 intelligendum. Cherubinos autem nec à po-  
 pulo, nec à summō Sacerdote fuisse adoratos,  
 etiam fatentur hoc tempore imaginum ado-  
 ratores, int̄ò nec fuisse picturas, propositas  
 modo ad adorationem accommodato. Propterea ne-  
 gagat Vasquez Cherubinis & aliis figuris in templo fa-  
 cis aliquem cultum fuisse delatum. Id negavit olim  
 Clemens Alexand. Strom. v. Moses, inquit, qui  
 prius est cognitione nullum posuit in templo simu-  
 lachrum orbi suor, colendam. Tertul. lib. 2. con-  
 tra Marcionem cap. 22. dicit Cherubim & Stra-  
 phim aurea in area figuratum exemplum, certè sim-  
 plex ornamentum, accommodata suggesti longè di-  
 versas habendo tansas, ab idololatria conditione ubi  
 quam similitudo prohibetur, non videntur similitudi-  
 num prohibitorum legi refragari, non in eo similitu-  
 dinis statu reprehensa ob quem similitudo prohibetur.  
 Quod autem ex Tertul. nuper probavi, pro-  
 hibitionem imaginum ad cultum in decalo-  
 go, ad omnia tempora pertinere, id etiam

CON-

confirmat Clemens Alex. eod lib. v. ubi ait,  
*Moysem aperte legem sanxisse, nullam oportere scul-  
 ptilem, vel fusilem, vel fictam vel pictam imaginem si-  
 mulacrum ve facere, ut sensilia minima attende-  
 mus. Si nihil obligat præceptum hoc Christia-  
 nos, cur ita locutus est Clemens? Cur Tertul.  
 de Idol. cap. v. *Si nulla, inquit, lex Dei prohibueret  
 idola fieri A N O B I S [nosa] nulla vox Sp. sancti  
 fabricatoribus idolorum non minus quam cultoribus  
 comminaretur, de ipso Sacramento nostro interpreta-  
 remur, adversas esse fidei ejusmodi arces.* Augustinus  
 Epist. cxix. cap. XII. *Inter illa omnia decem pre-  
 cepta S O L V M ibi quod de Sabbatho posicium est  
 figuratè observandum præcipitur &c. Cetera camen  
 ibi præcepta propriè sicut præcepta sunt sineulla figu-  
 rata significacione observamus. Nam & idola non co-  
 lere manifestè didicimus. Ergo præceptum illud  
 est morale & perpetuum. An sit naturale, dis-  
 quiriri potest. Si per naturale quis intelligat pri-  
 ma principia legis naturalis, posset dubitari; sed  
 si quis intelligat ea quæ bona consequentia deducuntur ex primis illis principiis, naturale  
 dici debet, quidquid nos ab idolatriæ per-  
 cullo avertit. Morale positivum & perpetuum  
 esse probavimus, in explicatione Decalogi. Vi-  
 de etiam quæ scripsimus Cathol. Orthod.  
 Tractatu II. Quæst. xxxiv. Et doctissimam lu-  
 cubrationem Ioannis Daillé, *de sententia veter-  
 rum circa imagines & earum cultum.* Vnum super-  
 est ut huic objectioni satisfaciamus, quod Chri-  
 stus**

flus cum perporuò mansara. Decalogi præcepta repetis, nullam fecit mentionem præcepti de imaginibus, ut nec de Sabbatho. Respondemus, Christum nullibi docuisse quæ præcepta sunt mansura, quæ non: nec illo in loco præcepta decalogi omnia enumerasse, sed ex occasione pleraque. Præcepti autem contra imagines, non fuisse cur observationem inculcaret, cum, temporibus illis, omnes Iudæi ab imaginum fabricatione & cultu ita abhorrenter, ut in aliud extremum viderentur incidisse, ita ut magis opus habuerit, ut eximerentur eis scrupuli, circa quarumlibet imaginum, etiam extra religionis negotium, detestationem. Quod sub finem additur, *Sollicitè cavendum, ne quamvis sub favoribili ubertate paganorum in hac re mores in Christianismum reducantur:* est medicinam post mortem adhibere. Hoc faciendum fuit ab initio, quod neglectum, olim in Ecclesia tot turbas dedit, ac tandem prevaluit deterior pars.

*De utraque specie Sacramenti.*

**A**GNO SCIT Costerus Christum sub veraque specie Sacramentum suum instituisse, & porrexisse, & Ecclesiæ Christianisque omnibus ut idem facerent liberum reliquisse: & significationem sic esse pleniorum. Addunt alii etiam utilius sic sumi. Cum vero Martinus V. Papa etiam post Constantiensem Synodum palam populo omni Sacramentum sub utroque symbolo dederit, & nunc quoque Papa & Cardinales

L

Græcis

Græcis id Romæ peimittant, quin & adsint id facientibus : Synodus quoque Tridentina populis id poscentibus censuerit non negandum, nihil aliud est quod hac in re obstet concordia præter atroces accusations illas quibus Protestantium nonnulli Ecclesiam Romanam hac in re sacrilegii ream faciunt, cum tamen initio Lutherus, Melanchthon, Bucerus crediderint sine peccato sub uno symbolo hoc Sacramentum sumi posse, sicut sumunt abstemii sub solo pane, ægroti nonnulli sub solo vino : & tamen creduntur sumere totam rem Sacramenti. Est hac de re liber specialis Cassandri dignissimus lectu, ut & ea quæ de hoc arguento scripsit Modrevius.

## ANIMADVERSIO.

**H**Anc animadversionem à fine inchoabo. Est bac de re liber specialis Cassandri, dignissimus lectu, ut & ea quæ de hoc arguento scripsit Modrevius. Vterque horum agnoscit communionem sub utraque specie à Christo fuisse institutam, fuisse in usu à tempore institutionis usque ad annos mille & amplius, communiter, usque ad annos MCCC. liberam fuisse, & nemini petenti denegari iustè debuisse. Vterque novum fuisse institutum ut populus arceretur à poculo sancto, suffulatum rationibus nullius momenti, etiam futilibus, quas Modrevius exactè refellit, lib. iv. de Eccles. cap. xix. Vbi optimè notat, Non hic disputandum esse ex rationibus humanis, sed voluntatem Christi intuendam, qui convivium non mancum instituit, sed cibo addidit potum. Item. Tam laici bibere vinum necessarium esse, quam comedere panem necessa-

cessarium putatur. Aut ab utroque excludendos Laicos, aut ad utrumque admittendos. Ipsam Christi institutionem palam docere, & corpus Christi edendum esse in illius commemorationem, & sanguinem quoque bibendum in illius commemorationem. Vt ergo autem putat, vix quemque futurum, quin si vetus Ecclesia mos restituatur, & sanguis Dominicus Dominico corpori, in mysteriorum dispensatione iterum societur, pleno integroque Sacramento, quam parte, utilitatem.

Post hæc tam expressa, tam Scripturæ consentanea, mirum est quod censeant id liberum relinquere debere; ita ut hominis in potestate maneat, institutionem Christi mutandi, & quæ Deus coniunxit separandi. *Costerus*, ait annotatot, *Christum sub utraque specie Sacramentum suum instituisse agnoscit &c.* Hoc idem agnoscunt Constantienses Synodici: Addunt nihilominus suum, *tamen non obstante, & novam consuetudinem contra veteris Ecclesiæ morem, ita confirmant, ut velint haberi pro lege; & prohibeant, sub excommunicationis pena, ne quis presbyter communicet populum, sub specie panis & vini.* Sess. xiiii. Idem statuerunt Basilienses, Sess. xxx. Consuetudinem communicandi laicum sub una specie, pro lege esse habendam. Nihil igitur est, quod *Costerus agnoscit*, cum ipse, sicut alii, *legibus recentiorum Conciliorum sit obnoxius, etiamsi vel ille, vel alii, fateantur, significationem esse pleniorern si sub utraque Sacramentum accipiatur, etiam utilius*

L 2 sumi.

sumi. At hoc liberum relictum fuisse Ecclesiæ Christianisque omnibus , post contraria illa decreta, falsissimum est. Concil. Trident. Patres Sess. xxii. sub finem , super petitione concessionis calicis , volunt integrum negotium ad Papam esse referendum , qui sua prudentia singulari efficiat , quod utile Eccles. Christ. & potentibus usum calicis . Olim dicebat Tertul. de diis Roman. nisi homini Deus placuisset Deus non esset. Sic nisi placeat Papæ permettere usum communionis , quomodo à Christo fuit instituta , nullam vim habebit Christi institutio.

Ait, Martinum V. post Concil. Constantiens , palam populo omni Sacramentum sub utroque Symbolo dedisse. Debet dicere ubi , quando , & an omnibus populis per aliquam bullam hanc potestatem concesserit ? quod non puto ; an actu & re ipsa dederit utrumque Symbolum alicui populo , in uno loco congregato , puta Constantiæ ? Quod si factum fuisse, id tamen semper manet , quod etiam ex concessione Bohemis facta Basileæ manifestum est; nolle Pontifices ut id debeatur divinæ institutioni , sed eorum concessioni , quasi eis liberum esset prohibere , quod Christus iussit , aut permittere speciali privilegio , ut populi Deo obsequantur ! Synodus Tridentinam censuisse id non denegandum populis potentibus , nullibi dicitur. Sed tantum id prudentiæ Papæ esse committendum. *Atroces autem accusations quorundam*

dam Protestantium Ecclesiam Romanam sacrilegiorum facientium, per se concordia non obstant, cum veræ sint: sed pertinacitas eorum, qui convicti, non cessant in eodem sacrilegio persistere, & multis modis primi institutoris providentiam & sapientiam excogitatis commentis & ratiunculis suggillare. Lutherus cum recens è Papatu prodiret, qui fateretur se fuisse Monachum & Papistam insanissimum, proinde cum commiseratione scripta sua legi petit, non mirum si non uno intuitu omnia viderit. De sententia Melanchthonis satis constat ex Apologia Confessionis Cap. de utraque specie. *Si Christus, inquit, instituit pro tota Ecclesia, cur altera species adimitur parei Ecclesia? cur prohibetur usus alterius speciei?* *Cur mutatur ordinatio Christi? præsertim cum ipse vocet eam testamentum suum.* Et sub finem, *Ecclesia, inquit, non sumit sibi hanc libertatem, ut ex ordinationibus Christi faciat res indifferentes.* Addit postea, *se Ecclesiam excusare qua hanc injuriam pertulit, non autem eos qui non solum prohibent, sed etiam utentes excommunicant.* In Resp. ad artic. Bauaricos, *Respondeo, inquit, nec Synodum, nec ullum hominem posse prohibere alteram partem cœna Domini, juxta dictum, Testamentum hominis mutare non licet &c.* Quid autem M. Bucerus de eo senserit apertè liquet ex ejus defensione reformationis Colonien. cuius cap. lxxiv. habet hanc inscriptionem, *Quod alteram speciem Sacramenti Christiani in genere auferre, grave*

*sacrilegium sit.* Id ostendit multis rationibus, & contendit, non Christianos sed Antichristianos esse, & non Ecclesiam sed Antichristi Synagogam eam quæ rescindere volet eas Ecclesias, quæ calicis dispensatione, juxta mandatum Domini utuntur. Hoc Sacramentum sumi posse sicut sumunt abstemii solo pane, ægroti nonnulli sub solo vino, non negamus, sed ab abstemiis & ab ægrotis, non ab iis qui possunt utroque signo uti. Lex generalis semper manet, cui quorundam infirmitas non derogat. Satis novit doctus Jurisconsultus, *iura constituenda esse in iis qua Ædi τῷ θλιψίᾳ accidunt, non que ēκ τῷ θλιψίᾳ, ex inopinato. nec singulas personas, sed generaliter constitui.* Lex est necessaria apud Pontificios ut sacrificium fiat sub duabus speciebus. Innocentium tamen VIII. Norvegis concessisse, ut sine vino sacrificarent, testatur Volaterranus. Respondet Bellarminus, *quod id Pontifex concessit, si concessit, quod judicaveris jus divinum ita interpretandum esse, ut excipiatur casus necessitatis:* *Etsi enim Sacrificium sit imperfectum sine utraque specie, tamen præstat imperfectum habere quam nullum.* Id de Sacramento potiori jure dicere possumus. Omnibus offerri debet ex instituto Christi sub utroque signo. Si qui sunt autem abstemi qui vinum ferre non possint, aut alii qui per morbum & aridas fauces non possint panem deglutire, signum quod ex necessitate non possunt sorbere, voto tamen, consensu & desi-

desiderio accipientes, aliud, quod ore pos-  
sunt, re ipsa, se ipsos ratione solabuntur,  
quod Sabbathum factum erit propter hominē &c.  
Talia exempla rara & singularia non debent  
legem infringere, vel libertati cunctorum præ-  
judicare. Mirum est talem & tantum virum,  
calibus argutiis moveri, quorum ipsos Sophi-  
stas debet pudere.

---

*De vngione infirmerum.*

**M**odus vngendi infirmos quam sit vetus ex Iacobo apparet. Objiciunt Protestantium nonnulli id factum ad sanandos ægiotos: dona autem sanationum nunc cessare. Responderi potest, non quidem tam frequenter & conspicua esse quam olim fuere dona sanationum: attamen Deum nunc quoque piis, quorum saluti id expedire judicat, sæpè morbos auferre aut mitigare: & vt id non fiat, illud certum esse, omnes illas sanationes corporum figuræ fuisse sanationis animorum: & proinde non male ad hanc obtainendam pares ritus usurpari. Adde quod & Græci hunc morem retinent: & Protestantium præcipui non improbant. Et tamen de vñctione quæ nunc usurpatur, non eandem esse quæ Marci vi. 13. describitur, ait Suarezius, nec plane eam colligi ex loco Iacobi Cajetanus ad illum locum Iacobi censet. At verò cum mos sit Ecclesiæ universalis & utilitate non careat, nihil video cur non debeat retineri.

## ANIMAVERSO.

**M**ostem ungendo confirmos veterem fuisse nemo negare potest. Sed quo sine fuerit usurpatus, & an institutus fuerit ut perpetuò in Ecclesia observaretur, sub judice lis est. Andreas Friccius Modrevius, qui cum aliis paucis D. Annotatori sapit, sic describit eorum sententiam qui de hac unctione prudenter judicant. l. 4. de Eccl. xiv. *De unctione qua ab Apostolis adhibebatur agrotis idem affirmant: eam tum viguisse cum curationes illustrandi & confirmandi Euangelii causa vigeabant. Quibus cessantibus, quorum signum usurpatum, cui res signata nulla subsit?* Marcum sic narrare de Apostolis: *Vngebant oleo multos agrotos & sanabant. Verum, non tantum oleo, sed impositione tum manuum, tum sudariorum, tum semicinctiorum, tum umbra contactu Apostolos sanasse sacram Historiam testari. Ut qua ratione unctionio olei constituit Sacramentum, eadem & reliqua signa, quibus Apostoli utebantur, sanandis agrotis. Neque ego video, si ad hac Apostolorum exempla, tum confirmatio tum unctionio exigenda sint, quomodo ea hoc tempore in Sacramentis numerari debeant.* Hæc ille. *Quibus verbis retunditur quod hic dicitur, Omnes illas sanationes corporum fuisse figuræ sanationis animorum, & proinde non male ad hanc obtainendam pares ritus usurpari.* Primum illud falsum est, sanationes omnes corporum miraculosa fuisse figuræ sanationis animorum. Secundum, non sequitur adhibendos esse ad veritatem, pares ritus

ritus qui in figuris adhibiti fuerunt. Græcos hunc morem retinere tanquam verum & propriè dictum Sacramentum, & Protestantium præcipuos eum non improbare hoc sensu, probandum fuit, non assumendum. Sed qui agnoscit Suaresium negare unctionem quæ ab Apostolis usurpata dicitur Marc. vi. 13. non esse eandem cum extrema illa, quam vocant: & fatetur Cajetanum censere eam non colligi ex loco Jacobi, non vider tamen cur ea non debeat retineri, At,

*Qui pia vota probat Spalatinis insita libris,*

*Deque decem vellet non periisse duos:*

legat apud Spalatinum suum, c. x. l. v. de Rep. Ecclesiastica, cuius hoc est breviarium. Extremam unctionem moribundorum non esse à Christo institutam. Neque habere divinam promissionem gratia spiritualis, ullamve ad eam analogiam. Neque esse statim ceremoniam in tota Ecclesia universalis. Spectavit ad potestatem miraculorum, non ad Sacramentum, etiam ex sententia Cajetani. Hæc pluribus probata ibidem reperiet, cum refutatione objectionū. Accipiat etiam super ea re dulce nectar Melanchthonis, in Confessione Ecclesiarum Saxoniarum, Vñctio qua extrema nominatur fuit olim medicatio, ut ex Iac. Epist. c. v. perspicuum est. Nunc spectaculum est plenū superstitionis. Dicunt remitti peccata per istas unctiones, & addynt invocationem mortuorum, quam etiam necesse est improbare. Idē habet in locis communibus, cap. de numero Sacramentorum. Ritus unctionis qui nunc est, tantum est superstitiosa ce-

remonia, & accepit mortuorum invocatio qua est impia. Ideo unctio illa cum suis appendicibus rejicienda est. En Consensum annotatoris cum Melanchthon. Non video cur non debat retineri, inquit. At rejicienda est cum suis appendicibus ait Melanchthon. Cui potius adhaerebimus? Vide si lubet quæ scripsimus Cathol. Orthod. part III. q. xvii. ubi rem plenius tractavimus.

---

### *De cœlibatu Sacerdotum.*

**N**IHI fecit contra Apostolum Ecclesia Occidentis, cum olim, sufficiente virorum castorum copia, cœlibes ad ministeria Ecclesiastica iis qui in matrimonio constituti sunt prætulit: præsertim cum eligerentur ad hujusmodi ministeria homines prouectæ ætatis, & vitæ benè exploratæ. Alioqui si interdictores sunt matrimoniorum qui cœlibatum matrimonio præferunt, & ipse Apostolus sibi erit contrarius, qui Episcopum vult legi vnius vxoris virum, quod mos Ecclesiæ interpretatus est, non post mortem vxoris alteris nuptiis implicitum: valde benè. nam pari loquendi genere Apostolus ad viduatus ordinem legi vult viuis mariti uxorem, id est, semel tantum nuptam: neque enim eodem tempore duos habere viros feminis vñquam licuit. Sed eadem Ecclesia olim, vt notat Cassander, matrimonia, etiam post ordinationem contracta non dirimebat, sed tantum eos qui ea contraxissent à functione sacerdotali amouebat, tanquam habentes *exclusum*, id est, quod culpari posset, vt de viduis quæ se Ecclesiæ dicauerant nubentibus loquitur Paulus i. Tim. v. 12. Quia vero res ipsa docuit multis in locis cœlibatum qui olim castus

castus fuerat, mutatum in libidines fœdas, quæ & sacerdotum dedecorarent ordinem, & plebem, nisi occursum fuisset, ab omni pietate poterant auertere; propterea rectè fecerunt Cassander & Modreuius, & alij viri pii, imò & Imperatores, & Reges non pauci, qui id suasèrè, ut vbi jam matrimonia Presbyterorum recepta sunt, maneat volente Papa, si non major, ea libertas quam Græci, qui se Ecclesiæ Romanæ communioni dedere, usurpant; at quibus locis mansit cœlibatus, non elegantur ad sacerdotia nisi qui ejus sint ætatis & morum, ut exspectari ab ipsis bono jure possit castus cœlibarus: Deinde ut diligenter vigilet disciplina, non tantum contra libidines, sed & contra liberiores talium aditus ad feminas. Jure diuino non esse cœlibatum annexum sacerdotio consentiunt Cajetanus, Sotus, Bellarminus, Valentia. Espensæus in Epistolam ad Titum ait multis annorum centenariis post Apostolos Ecclesiam primituam, defectu cœlibum, sacerdotes habuisse maritos. idem ait Coferus. Balsamo ante eam Synodum quæ in Trullo est habita, licuisse etiam Episcopis habere uxores. Orientales Sacerdotes matrimonio copulari ait Stephanus Papa: Cajetanus hoc amplius, Tomo 1. opusculorum tractatu XVII. *Diu licuit in Ecclesia Orientali contrahere post ordinationem*: nempe minoribus Clericis, ut Cantoribus, Lectoribus, Ostiariis, quae de re vide quæ collegit M. Antonius de Dominis, lib. II. cap. x. 5. & sequentibus.

## ANIMA DIVERSIO.

**C**ontra Apostolum fecisse Ecclesiam Occidentis, ex eo apparet, quod Apostolus liberum relinquit conjugium iis qui Episcopatum *bonum opus*, desiderant. Ecclesia Romana contra, ab illo

illo bono opere arcet omnes conjugatos , nec patitur eos qui in Episcopatu versantur , legitimo conjungi thoro , quod olim liberum fuit , quando , ut loquitur poëta Mantuanus de nostrarē Hilatio , ei

— Non obſtitit uxor,

*Legitimo coniuncta thoro, nec horruit illa*

*Tempeſtate Deus, thalamos, cunabula, tadas.*

Aliud est cœlibes proiectæ agatis , & vita benè explorata ad ministeria Ecclesiastica preferre conjugatis ; aliud conjugatos omnes hac infamiae nota inuicere , ut arceantur penitus ab Ecclesiasticis officiis , & si qui sunt admoti his munericibus , cum adhuc cœlibes eſſent , eis laqueum injicere , ne unquam jungantur matrimonio. Non potuit sanctum conjugium magis dehonestari , quam tali constitutione ; præsertim cum id tritum sit apud eos quibuscum nobis lis est , scorpatorem Episcopum vel presbyterum non fieri irregularem , nec propterea arceri ab illis Sacris . Quod enim dicunt nemini matrimonio interdici in Eccles. Romana ; sed tantum statui , munera quædam Ecclesiastica non posse convenienter committi conjugatis ; tale statutum est interdictio matrimonii iis qui sunt in illis ordinibus constituti , aut iis qui ad id sentiunt ſe à Deo vocari : quod perinde est ac si expreſſè prohibetur . Qui Principes prohibent ne ad munera politica adhibeantur , qui aliam à ſua religionem profitentur , hoc ipſo oſten-

ostendunt se eorum religionem improbare. Sic etiam qui interdicunt ne quis conjugatus admittatur ad ea munera quæ in Ecclesia sunt in honore, hoc ipso ostendunt, se conjugium improbare, quod in aliis tolerant, quos etiam *in carne esse & Deo placere non posse*, interpretantur. Sed præstat hic *annotatori*, opponere Melanchthonem cuius judicium præ se fert magni facere. *Nos*, inquit, *hanc legem de cœlibatu, quæ defendunt adversarii, ideo non possumus approbare, quia cum jure divino & naturali pugnat, & ab ipsis Conciliorum Canonibus dissentit: Et constat superstitionem & periculosam esse pariter enim infinita Scandala, peccata, & coram publicorum morum.* Aliæ controversie nostræ aliquam disputationem doctorum desiderant: In hac, res ita manifesta est, in utraque parte, ut nullam requirat disputationem. Tantum requirit judicem virum bonum, & timenter Dei. Hæc ille, in Apologia. Sed de toto hoc argumento videnda est ejusdem *Defensio conjugii Sacerdotum, missa ad Regem Angliae*, in qua illud fuscè & solide tractat, & ad argumenta adversariorum respondet. Videre etiam juabit, defensiones duas *Andrea Fricci Modrevii*, de Matrimonio presbyterorum Tract. 2. & 4. potissimum autem, quæ habet in Apologia, adversus infame dictum Pighii, à pag. 332. Casander etiam hic, æquior multo est *annotatore*, ut cuivis ex collatione patebit. *Qui VVicelii Chartas heget, præsertim viam ejus Regiam, sive de Semitis*

Semitis antiquis; hæc expendet, Nec hoc omne  
punctum, inquit, de Clerogamia largiremur libro,  
(puta August. confess.) nisi ferè idem traderet  
Ecclesia. Dicitur autem Ecclesia tradere, quod vetu-  
stissimi vel scripserunt, vel fecerunt Ecclesiæ patres, do-  
ctores ac viri, in sancto fidei Christiana negotio illu-  
striissimi: nisi, inquam, conjugium presbyterii D I V I-  
N I T V S concederetur in Ecclesia, nec reclamarent  
scriptura sancta, nec veteris Ecclesiæ INDVBITATA  
praxis, nec publica honestas. Et horrendum auditu est  
quod Apost. Paulus demoniacum, seu diabolicum esse  
scribit, si quis doceat adversus conjugium. 1. Timot.  
cap. IV. v. 3. Longè magis demoniacum sit opor-  
tes, propter conjugium in Christianos savitiam exer-  
cere, & innocentes interficere. Liber recte afferit, cum  
ait, Constitutionem istam humanam, qua prohibetur  
conjugium Presbyteris, ac distrahitur contractum,  
pugnare cum jure naturali, cum jure divino, cum  
Euangelio, cum veterum Synodorum constitutioni-  
bus, cum exemplis veteris Ecclesiæ; imò cum exemplis  
etiam Ecclesiæ Romane, qualis erat circa quingen-  
tos annos. Qua exempla spiritu parum sancto Hilde-  
brandus notabiliter actus, ex Ecclesia Romana sustu-  
lit. Inter multa autem quæ ibidem congerit  
pro libertate conjugii in viris Ecclesiasticis,  
hæc habet. Fatetur Petrus à Soto, Apologia ad-  
versus ducem Wirtebergensem, Matrimonium,  
quantum est ex jure divino omnibus ex aquo Laicis &  
clericis liberum esse: usum vero ejusdem, non ex jure  
divino, sed ex consuetudine & consensu Ecclesia Ro-  
mana

*magna clericis interdictum esse. Hac ille, inquit, Ergo vicimus. Quid enim interdictum esse, nisi prohibitum esse? ut prodatur voce sua forex.* i. Timoth. iv. *Pergit Sotus: quare non sit mirum, si vel alicubi, vel aliquando aut usurpatum, aut permisum fuerit. Certè concedens ille Magister noster Ecclesiam Romanam, posse in futurum banc constitutionem bu-  
mavam, videlicet cælibatus, aut mutare, aut parum laxare. Hæc Wicelius.*

Ait annotator, *Si interdictores sunt matrimonio-  
rum qui celibatum matrimonio preferant, & ipse apo-  
stolus sibi erit conseruans, qui Episcopum vult legiunius  
uxoris virum, quod mos Ecclesia interpretatur est, non  
post mortem uxoris alteris nuptiis implicitum. Valde  
bene. In his verbis primum non valde bene con-  
stituitur controversiæ status. Non queritur an  
cœlibatus Matrimonio sit præferendus? Sed  
an conjugium non sit liberum relinquentum  
iis qui Ecclesiasticis ministeriis inserviunt? Id  
Paulus fecit, cui contradicunt, qui contrarium  
decernunt. Vult enim Paulus cum ad sacrum  
munus admitti, non qui fuerit, sed qui sit unius  
uxoris vir, *Paulinus textus,* ( ait Dom. Soto. de  
just. & jure lib. 7. q. 6. Artic. 2. concl. 1. ) *plamē*  
*commonstrat illos esse intelligendos, qui in matrimonio*  
*durabant, tum quod unius uxoris vir, hoc ipsum sonat*  
*quod uxorem habens; tum quod inserat alias ejus virtu-*  
*tes hanc etiam ponat, ut sit sua domini bene prepositus.*  
Nec id fortasse negabit annotator. Sed vult sal-  
tem à secundis nuptiis arceri Episcopum, post mor-  
tem*

*rem uxorū alteris nuptiis implicitum.* Cur autem? Nonne enim est *unius uxorū vir*, qui viduus cum una matrimonium contraxit? An contrarium dixit Paulus? Imò inquit, *nampari loquendi genere Apostolus ad viduatus ordinem legi vult, unius mariti uxorem, id est semel tantum nuptiam.* Illud, *id est*, additur, non *valde benè*. Vidua, quæ post mortem prioris mariti, alteri legitimè nupsit, fuit *unius mariti uxor*. Sed quæ plures maritos simul habuit viventes; illa non fuit *unius viri uxor*; quales fuerunt in populo Iudacio repudiatae, citra causam adulterii, quibus libertum erat post divortium alteri nubere. Non potest ignorare vir doctus, tales multas fuisse inter Iudeos. Apud Romanos etiam id frequens fuisse, Iuvenalis testatur, qui meminit eorum quæ *quinque per autumnos octo faciebant maritos*, lib. 2. Sat. 6. Et Seneca de Beneficiis cap. xvi. meminit fœminarum illustrium & nobilium quarundam, quæ non consulum numero, sed maritorum, annos suos numerabant, & exibant matrimonii causa, nubebant repudii. Tertul. etiam Apolog. cap. vi. exprobrat, quod tunc in fœminis repudium jam & votum esset, quasi fructus matrimonii. Quæ tales erant, non poterant dici *unius mariti uxores*. Neque etiam *unius uxoris viri* erant, vel qui plures simul habebant conviventes; vel qui per divortium abjecerant quæ adhuc vivebant, & se aliis conjunxerant. Chrysost. in i.ad Tim.cap.iii.Homil. 10. *Non*  
*hoc*

*hoc veluti sanciens dixit, quasi non liceat absque uxore Episcopum fieri, sed ejus rei modum constituens. Iudeis quippe licetum erat, etiam secundo matrimonio jungi, & duas itidem habere simul uxores. Hæc ille valde bene.*

*Ecclesiam olim non diremisse matrimonia post ordinationem contracta, Cassander & ejus annotator agnoscunt. Quæ contrarium facit Ecclesia & fœdum illud axioma approbat, quod Sacerdos si fornicetur, aut domi concubinam foreat: tamen si gravi sacrilegio se obstringat, gravius tamen peccat, si contrahat matrimonium; ut est apud Coster. in Enchir. tract. de cœlibatu. Quæ, inquam, hoc approbat, quo loco debet haberis? Quæ subjiciuntur, propter cœlibatum mutatum in libidines fœdas, vota multorum piorum, etiam Imper. & regum, inita haec tenus fuisse, experientia monstrat. Cassander merito invehitur in Jesuitam Turrianum novum, ut vocat, dogmatistem, qui voluit cœlibatum fuisse στιθῶς, & lege divina annexum ordinibus sacris. Concluditque, *Si unquam tempus fuit, antiquæ alicujus consuetudinis immutandæ, certè hac tempora, hujus quamvis prisci moris, immutationem aliquam efflagitare videntur, cum optimi quique & religiosissimi Sacerdotes, infirmitatem suam agnoscentes, & perpetua scortationis fœditatem exhorrescentes, si publicè non audent, certè privatim conjugium ineunt, & populus hodie eo animo comparatus est, ut maritem quam scortatorem Sacerdotem, facilius patiarur.* Addam*

M

hic

hic justissimam Wicelii querelam , in libro supra citato. Dicimus, inquit, licere, non oportere, sed concubinatu prohibito , coget res ipsa vel ad honestum conjugium, vel ad sanctum cælibatū. Quod inter hac duo incidit, veritum est, nempe scortationis scelus, aut adulterii, aut cynadia, paderastie, quorum scelerum est repleta terra. Et talibus debetur duplex honor, duplex census, duplex immunitas & libertas. Tales digni sunt qui solè administrent Ecclesia Sacra menta, quibus honorandis aperiantur hominum prætereuntium capita. Horum os manusque rebus sordidissimis aptæ atque assuetæ, admoventur tremendis mysteriis, & adeò ut sempiterna salus populi, qui dicitur Catholicus, sola pendeat ab impurissimis & fædissimis scortatoribus. Hi conficiunt Sacra menta, hi solvendi ligandique potestatem habent, hi soli psallunt Deo, quem adversarium babent & inimicum. Horum dignitas venerabilis scilicet tanti sit, ut in horum ordinem certasim ruant adolescentes, ocio, sensu, ac honore pellecti tantum, cum metu Dei & formidine gehenna, procul binc fugere conveniat, propter eandem turpitudinem vita, in quam prudentes incident, præ quorum jactata dignitate, casti presbyteri propter honestum conjugium sordent, à Thyssianisterio, à Baptisterio, à Cathedris, à pulpitis arcentur, à sacris muneribus, muniisque repelluntur omnibus, indigni habiti, qui intueantur lucem, cum illi coram Deo & Ecclesia sint sacris mysteriis tractandis magis idonei, propter conscientiam bonam fiduciamque erga Deum, rectamque & honestam conversationem.

O Präfules, quæ est ista, precor, tam crassa ac illaudata

*data supinitas, quæ est ista tam perversa perversitas, aut cæcitas cæcitatum, tantam ubique fœditatem in clero quotidie sacrificante, patienter ferre posse, contempto Christo, & oppressa conscientia, & ne semel quidem ad reformationem ac correctionem totius status animum adjicere? Videat Dominus & requirat,*

A M E N.

Hæc Wicelius, unus ex vii. Patriarchis Mediatorum, quos laudandos, & imitandos sibi proposuit D. annotator, & quibus se octavum adjunxit, qui à grata pretium posteritate ferat, tanti & tam ardui conatus.

*De Missa.*

**L**AVDABILE est quod volunt Protestantes ut in omni Missa sive Liturgia aliqui sint qui communicent, ut mox quoque dicemus. Sed eosdem Protestantes rectè admonet Casander, non rectè ab eis omitti preces ad Deum, per quas oratur ut Spiritu suo dona sanctificet, faciatque ea corpus & sanguinem suum, quales preces habes in omnium gentium Lituriis antiquis: qui consensus, nihil adferens incommodi, non est repudiandus. Operis operati vox quo sensu ab eruditis usurpetur, dictum est suprà. Cæterum non omitunt Catholici exigere in communicaturo serium studium vitæ piæ, pios affectus, amorem Dei ac proximi. Sed caliginem huic doctrinæ affert multiplicatio ista Missarum, nulli rei nisi quæstui seruiens, cui qui inhiant, nunquam populum bene instituunt. Et vel hac de causa utile esset minui numerum Sacerdotum, deinde si non in omnibus, in quibusdam certè Ecclesiis preces & laudes Dei peragi sermone vulgari, aut Latino primum, deinde vulgari, ut populus *Amen* respondeat.

## ANIMADVERSIO.

**Q**Uæ hic annotantur, mixti sunt generis. *Missa* vocabulum initio non rejicit Confessio Augustana, sese tempori & usui accommodans. Sed qui eam profitentur nunc, omnino ab hac voce abstinent, à solis Latinis usurpata, & vario sensu, & non ab initio. Res ipsa per se vera est, quod Protestantes non admittunt celebrationem Eucharistie, in qua nulli sunt qui cum Ministro communicent. Omitti autem ab iis preces ad Deum, quibus oratur, ut *Sp. sanctus dona sanctificet, eaque faciat corpus & sanguinem suum*, dici non potest de omnibus Protestantibus. In Liturgia Anglicana orat Minister, ut Deus concedat sumentibus has ejus creaturas panis & vini, ut juxta sacrosanctam institutionem filii ejus, sint particeps corporis & sanguinis ipsius. Ecclesiarum in Gallia reformatarum Liturgia habet etiam preces, quibus petunt, quemadmodum non solum Dominus noster semel obtulit patri in cruce, corpus suum & sanguinem pro nostrorum peccatorum remissione, sed etiam ea nobis vult communicare in vitam æternam; dignetur efficere, ut vera sinceritate cordis accipiamus tale beneficium, & certa fide potiamur, ipsius corpore & sanguine. Nullæ sunt Protestantium aut reformatorum Liturgie, in quibus ejusmodi preces non inserantur. Quod si totidem verbis non petant ut *Spiritu suo dona sanctificet Deus, faciatque ea corpus & sanguinem suum,*

*suum*, judicant hoc non esse necessarium, neque etiam conveniens. Cum enim preces illæ dirigantur ad patrem immediate, non debemus petere ut faciat *panem & vinum corpus & sanguinem suum*, sed *corpus & sanguinem Christi filii sui*. Deinde quamvis verum sit, creaturas illas panis & vini fieri *corpus & sanguinem Christi* Sacramentaliter, id tamen non sit vi precum, sed verborum institutionis Domini, fatentibus adversariis. Denique, probari non potest omnes veteres Liturgias has preces habere, cum sint qui affirment, Apostolos sola oratione Dominica fuisse usos in Cœnæ administratione. Sic enim Valafridus Strabo, de offic. divinis cap. xxii. ait Apostolos, & qui proximè eos sequuti sunt, *premissa oratione Dominica sicut ipse Dominus pracepit; commemoratione passionis ejus adhibita, corpori Dominico communicasse & sanguini, quos ratio permittebat*. Id nos omnes exactè observamus. Nec omnes veteres Liturgiæ iisdem precibus utuntur, quarum nullæ Apostolos habent autores, quamvis nomen eorum prætendant. Sed de precibus concipiendis de quibus omnes convenienter, non esset difficultas, si in re ipsa consensus haberiposset. Negat hic Cassander Missam ex opere operato mereri remissionem peccatorum, aut justificare, quatenus est opus externum Sacerdotis. Omnes tamen scholastici contrarium docent. Quæ autem sub finem notantur, expendenda

relinquo iis quorum interest, quod doctrinae de communione, caliginem afferit multiplicatio ista missarum, nulli rei nisi questui serviens, cui qui imbiant, nunquam populum bene instituant. Quod vel bac de causa utile esset minus numerum sacerdotum, quod etiam utile esset in quibusdam Ecclesiis preces & laudes peragi sermone vulgari. Hæc quantumvis levia videantur, non obtinebit tamen D. Annotator.

*De solitariis Missis.*

**C**v m optet Synodus Tridentina vt in singulis Missis fideles etiam sacramentali Eucharistiæ percepcione communicent, mox hunc fuisse veterem & Græcæ & Latinæ Ecclesiæ dicat præter eos quos producit Cassander, Cardinalis Bellarminus, idemque testetur Clemens in Constitut. lib. II. cap. II. Gregorius secundo Dialogorum cap. 23. Walafredus Strabo c. 21. Gratianus in c. peracta, II. distinctione de consecratione, & c. tribus gradibus, ibidem: & c. hoc quoque distinctione prima: apud Græcos id nunc quoque fiat, & in Occidentis Monasteriis multis: & dicat Henricus Gorichemus teneri Presbyterum admittere laicos cipientes communicare: danda est opera ab Episcopis & Presbyteris vt hoc votum Synodi impleatur: nec admittantur tantum volentes laici, sed & inuidentur vt velint. Ceterum non obstat hoc, quominus ægrotus aliquis simul cum domesticis suis, aut certè simul cum Presbyteris aut Diaconis communicet. Est enim communio etiam inter paucos.

## ANIMA DIVERSIO.

**A**Describam initio, quæ de Missis solitariis scriptit Wicelius in via regia, sive de semitis antiquis. Particulares, inquit, Missula non congruunt cum institutione cœna, nec cum traditione Paulina, nec merentur liturgia nomen, nec habent robur ex Evangelio, nec ex Ecclesia testimonium aut exemplum, nec sanctorum Patrum, (de antiquis loquor,) consensio nem firmam, nec martyrum aut homologarum apostulacionem, nec denique œcumenicorum Conciliorum veterum approbationem ullam, sed nuperis seculis adinvenit has, vana hominum supersticio & hypocrisia, ignorantia & Philargyria. Hæc ille.

In iis quæ in hac nota proferuntur contra solitarias missas, hoc unum desiderari potest, Quod Concilium Tridentinum, ad cuius decreta vult annotator exigere suam reformationem, cum polleret ea autoritate quā sibi arrogat in omnes Catholicos, in re tam seria, quam tot testimoniis & confessionibus probat esse secundum veterem morem Ecclesiæ Græcæ & Latinæ; optet tantū & roveat, id fieri, quod ex institutione divina necessarium est; quod etiam totus Canon Romanus arguit factum fuisse, nec aliter constare possunt ejus verba. Qui sit ergo quod hactenus in toto orbe Romano, votum illud fuerit irritum? si serium fuisset, nonne prosua autoritate effecissent Pontifices, ut nunquam celebraretur communio, sine communicanti bus?

bas? An pauci sint, an multi non disputatur. Sed hoc saltem statui debet, communionem esse plurium, non unius tantum. Nec institutum fuisse hoc Sacramentum ut unus illud percipiat, cæteris spectantibus. Quod spectat opus operatum in Missa, rectè notavit Mat. Ant. de Dominis, lib. v. cap. vi. *Esse merum commentum humanum, & avaritia presbyteralis inventum, facere missam sacrificium propiciatorium & imperatorium ex se, & ex opere operato, ut inde moveantur fideles ad Missas, soluto tamen pretio, requirendas, ut per illas, & remissionem hanc peccatorum & propitiationem obtineant, &c.* Certum est in veteri Ecclesia, eos qui non communicabant, ante communionem fuisse dimissos. Solos communicaentes mansisse, & participasse, alioquin non mansuros. Hæc omnia iamdiu cessarunt, & Missæ Sacrificii, tot sunt spectatores, quot adstantes, qui oculis tantum, non ore communicant.

### *De sacrificio Corporis & Sanguinis Christi.*

**R**ECTE dici in actione Eucharistica corpus & sanguinem Domini, sive ipsam Domini passionem à nobis offerri suprà diximus ad Articulum x. vnde & propiciatorium sacrificium rectè dicitur, siquidem Christi sanguis propitatio est pro mundi peccatis. Accedit quod qui criminum sibi consciū sint, non nisi per poenitentiam piati accedunt, & sic ipsam suam poenitentiam, & poenitentia opera, quæ & ipsa, ex vi sacrificii

cii generalis, sacrificia sunt propitiatoria novi fæderis, Deo offerunt. Nec pro mortuis precandi vſus, per omnes Ecclesiæ Orientis non minus quam Occidentis receptus, damnari debet. Benè dixit Augustinus de verbis Apostoli sermone 31. vniuersam hoc obſeruare Ecclesiæ. Nempe quia præmii qualitas & quantitas non dum decretæ est, sed decernetur & pronuntiabitur judicii die, recte fidelibus defunctis precamur, quod Paulus Onesiphoro, 11. Tim. 1. 18. Deinde quia mora resurrectionis aliquid in ſe habet animis graue, oramus Deum ut dies plenæ beatitudinis illorum citò adueniat, exemplo Apocalypſeos in fine: præterea ut in illa mora Deus illis largiatur ſolatia, quæ refigeria & ſomnum pacis, dixit antiquitas. Ex his qui hunc morem Ecclesiæ vniuersalis improbant, quæro cum fateantur ipſi nihil in cœlum iatratæ cui adsint illæ infirmitates quæ humanis animis in hac vita adsunt, ab illis infirmitatibus repurgationem vbi fieri existiment. Si dicant in itinere animæ inter terram cœlumque, jam hoc erit ejus Purgatorium. At veteres Christiani cum de fideliū animabus ante resurrectionis vniuersalis tempus loquerentur, regnare eas aut in cœlum admitti vix dicebant nisi de Martyribus, ob eam quam ſupræ attigimus cauſam. Locum verò in quo interim eſſent aliorum piorum animæ non definiabant, ſed obſcurè significabant ab eo nomine, quod nomen aut locum aut ſtatum animalium à corpore ſejunctorum significat, & piis impiisq; commune eſt: interdum diſtinctius nomine Paradisi, ad exemplum Hebræorum, quibus de vocabulis diximus ad Lucam xvi. 23. & xxiii. 24. Et ſic nunc quoque ſentiunt Græci. Attamen quod de Martyribus trādit Apocalypſis, idem de spiritibus iuſtorum πνεύματα, ut loquitur epiftola ad Hebræos xii. 23. cenuere nonnulli Hebræorum. Putant enim post tempus aliquod πνεύματα, id eſt purgationis, ſpiritus illos in cœlum recipi. Sic loquitur Gemara Hagigæ: ſic Midrasch

Ancholam in capite Bereschith , Rabbi Moses Bar-schemtob in notis ad Rabbinum Israëlem, & Maimonides compluribus locis: quæ sententia etiam apud Christianos in Occidente invaluit. Hæc ut in magna rerum istarum caligine sobriè & circumspetè tractanda sunt: non autem damnandæ veteres liturgiæ , cùm ne Christus quidem orationes pro mortuis apud Iudæos fieri solitas, quarum & formula exstat in Thalmudicis facta ut creditur in Babylonico exsilio, & mentio est in Mac-cabaico secundo, vppquam reprehenderit: & in Ecclesia prima tolerati sint qui pro mortuis baptizabantur. Cæterum Gersonem laudo qui vita manente preces & pro se & pro aliis fieri maluit, & allaborari ut anima hinc quam purgatissima decederet. Vide de hoc argumento librum Wicelii : & dent operam omnes ut caueant tria quæ in hoc argumento caueri vult Synodus Tridentina, curiosas quæstiones, fabularum commenta, & quæstuum aucupia.

## ANIMADVERSIO.

**I**N hac annotatione de tribus agitur, 1. de sacrificio propiciatorio corporis Christi à nobis oblati. 2. de precibus pro mortuis. 3. de purgatorio , maximè ex Rabbinorum deliriis. In his sequemur vestigia D. Annotatoris, qui si usquam alias, hic totus ambiguus est. *In actione Eucharistica corpus & sanguinem Christi à nobis offerri*, cum dicit, si intelligat, illud à nobis, de omnibus fidelibus, ut verba sonant, tum de Sacrificio externo propriété dicto non agi manifestum est, quod tamen solum in controvèsiam venit. Si autem id velit intellectum de solis

solis Sacerdotibus, quos vocant, & de oblatione  
veri & substantialis corporis Christi sub acci-  
dentialibus panis & vini, quod volunt Pontifici;  
ostendimus ad Artic. x. nullum tale Sacrifi-  
cium esse à Christo institutum; nedium ut *pro-  
piciatorium* sit, pro vivis & mortuis. Verum est,  
*Christi sanguinem propiciatorium esse pro mundi pec-  
catu.* Sed actionem puri hominis illud Sacrifi-  
cium commemorantis, esse propiciatorium Sa-  
crificium, nemo hactenus, quod sciam, dixit.  
Multo minus paenitentia opera ex vi Sacrificii gene-  
ralis, esse Sacrificia propiciatoria novi fœderis. Hæc  
certè nova sunt, & hactenus incognita, quod  
Christus propitiacionem pro peccatis nostris  
per sanguinem suum effusum, fecerit, ut nos  
ipſi simus propitiatores pro peccatis nostris,  
per opera nostra. Rechè Marcus Antonius de  
Dominis, libro v. cap. vi. negat ullum pro-  
prium & reale fieri nunc sub Christianismo  
Sacrificium; sed dumtaxat commemorationem  
unici veri Sacrificii fieri affirmat. Memoria,  
inquit, seu commemratio, seu representatio  
sacrificii peragendi vel peracti, non est Sacrificium:  
neque sacrificandi suum corpus, in Euchari-  
stia, dedit Christus potestatem, quam nec ipse tunc  
exercebat, sed tantum commemorans, sicut & ipse  
tunc tantummodo suum sacrificium commemorabat.  
Id autem probat hoc argumento: si Christus in  
cœna propriè sacrificavit, vel illud sacrificium fuit  
propiciatorium, vel non; si non fuit, ergo Missa non  
potest

*poteſt eſſe tale ſacrificium, quia tunc iñſtituta eſt: ſi-  
uit, Ergo tunc Christus in ultima caena redemit mun-  
dum, & fruſtra in cruce ſacrificatus eſt. Alia ibi-  
dem profert argumenta plurima contra reale  
illud & ſubſtantiale Sacrificium, quæ apud eum  
legerē poterit, Qui pia vota probat Spalatinus iñſita  
libris. Expeſtabimus interim à D. annotatore,  
ut indicet nobis, quis unquam veterum & re-  
centiorum pænitentia opera dixerit eſſe ſacrificia  
propiciatoria, eaque vera & propria.*

*De uſu precandi pro mortuis, non ſufficiebat  
probare, illum fuſſe jam olim receptum. Sed  
ſi quis candidè vellet agere, quum hoc tempo-  
re mota ſit controverſia circa finem illarum  
precum, oſtendendum erat veteres omnes,  
id eſt veterem Eccleſiam universam, pro iis  
preces fudiffe, quos credidit, crudeliffimis  
flammis in aliqua inferni parte uſtulari, ut à  
tormentis illis liberarentur. Hæc eſt enim con-  
troverſia quæ hoc tempore movetur, & quæ  
probari neque ex Scriptura, neque ex veteris  
Eccleſiæ more unquam poterit. Orientis &  
Occidentis Eccleſiæ quæ pro mortuis precan-  
tur, non eodem innituntur fundamento. Quod  
autem dicitur, premii qualitatem & quantitatem  
nondum decretam eſſe, verum eſſe non potest, quia  
Deus quæcumq; facturus eſt decrevit ab æter-  
no, non in genere ſolum, ſed etiam in particu-  
lari. Neque à Deo petere debemus ut aliquid  
decernat, non decretum. Aliud eſt decernere,  
aliud*

aliud pronunciare. Ultimum illud fiet in die iudicii, solemní denunciatione, non tamen expectanda est animabus fidelium hæc dies, ut beati sint in Domino mortui, ratione animæ. Si ergo pronunciationem illam, & executionem plenam eorum quæ, hic adeptam misericordiam, in die extremo sunt consequutura, nemo nostrum condemnabit eos qui votis & precibus adventum Domini expertent, & pro resurrectione beata omnium fidelium Deum compellabunt; item pro manifestatione plenæ illius misericordiæ, erga eos qui hic fuerunt misericordes: quo sensu expetebat Paulus 11. Timoth. 1. v. 18. domui Onesiphori, qui sapè eum refrigeraverat, ut daret illi Dominus invenire misericordiam in die illo. Non orabat pro mortuo Onesiphoro, qui tum in vivis erat, nec pro domo mortua, sed pro familia quæ vivebat in terris, cui felicitatem æternam expetebat. Quod dixi tum adhuc in vivis fuisse Onesiphorum, ex eo comprobatur, quod Scriptores Ecclesiastici, & Baronius post eos, volunt fuisse Episcopum, quidam Ephesi post Timotheum, alii Colophonis, alii Coronæ. Petit ergo Paulus pro Onesiphoro qui adhuc in vivis erat, & pro familia ejus, ut illi retribuatur in die iudicij misericordia quam ei præstítit, & tunc manifestet Dominus eam misericordiam suam in expectata adoptione, id est redemptione corporis nostri. Rom. VIII. v. 26. Nam quamvis adoptio

adoptio jam facta sit hic, & remissio peccatorum à Deo donata, horum tamen beneficiorum fractus expectantur pleni, postquam venerint tempora refrigerationis à conspectu Domini, hoc est ēν τῇ Φειλῆ ἡμέρᾳ, ὅπε τῷ ἔτε εἰλέσθαι χρεία πᾶσι, καὶ τοῖς ἀγίοις, ait Theophylactus, post Chrysostomum. Qui recte ibidem annotat, Si *Onesiphorus*, qui pro Christi nomine periculis se objecit, per misericordiam servatur, multo magis nos. Notandum autem, nihil peti, nisi implendum in die judicii; proinde id nihil facere ad purgatorium, nec ad aliquam liberationem pœnaruim ante illum diem, sed ad exemptionem condemnationis, quo tempore Christus judicaturus est vivos & mortuos; quæ tamen nemini eveniet, nisi in hac vita gratia & reconciliatione donatus fuerit.

Si *mora resurrectionis* habet aliquid animis grave, & precandum sit ut in illa mora Deus illis largiatur solatia, etiam pro sanctissimis erit precandum, etiam pro martyribus, nec valebit illud decantatum, *injuriam facere martyri, qui orat pro martyre*. Certum est tamen in antiquis Liturgiis repetiri preces pro omnibus sanctis. In Liturgia quam Marco Evangelistæ tribuunt, *Animabus, inquiunt, patrum & fratrum nostrorum qui in Christi fide obdormierunt, dona requiem Domine Deus noster, memor majorum nostrorum qui à Seculo sunt, Patrum, Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum &c.* In Jacobi Liturgia oratur

oratur pro omnibus Orthodoxis & recte de fide sentientibus ab Abel justo, usque in hodiernum diem, ut Deus faciat eos requiescere in regno suo, & deliciis paradisi, &c. Eadem habentur in Constitutionibus Clementis. Offerimus tibi adhuc pro omnibus sanctis, qui à Seculo tibi placherunt Patriarchis, Prophetis, justis, Apostolis, martyribus, confessoribus &c. Non mirum est autem si pro omnibus oraverint, etiam sanctissimis, quorum haec fuit opinio, quod in die judicii nobis indefessus ignis est obeundus, in quo subeunda sint illa gravia expiande à peccatis anima supplicia. B. Maria animam gladium pertransivisse, ut reverentur multorum cordium cogitationes. Si enim in diei judicii illius severitatem Beata illa virgo ventura est, quis audebit ab eo judicari? Quæ verba Hilarii Piëtaviensis Episcopi, in Psal. cxviii. ad lit. Gimel, ne quis putet esse unius doctoris privatam opinionem, agnoscit Maldonatus ad Cap. Luc. ii. 35. fuisse Origenis & ferè antiquissimi cuiusque Scriptoris. Quod si non fateretur, id evinceremus ex locis Origenis in Psal. xxxvi. & Homil. xiv. in Lucam. Ex Ambrosio Serm. xx. in Psal. cxviii. Ex Nazian. Serin. xl i i. Ex Basil. cap. xxvi. lib. de Sp. sancto, ubi Baptismum ignis, de quo egit Joh. Bapt. interpretatur τὸν ἐν τῷ κείσα δοκιμασίαν, probationem quæ fiet in judicio. Si autem talis tot & tam veterum Scriptorum sententia, merito à POSTERIORIBVS Theologis rejecta est, ut vult Maldonatus, non tene-  
mur

mur tam labili fundamento superstruere preces & suffragia pro defunctis.

Nec minus fragile est aliud, quod tum Græcis hodiernis hoc tempore placet, tum veteribus illis Christianis, qui *fidelium animas ante resurrectionis universalis tempus, regnare aut in cælum admitti vix dicebant*. Hanc etiam plurimorum veterum fuisse opinionem in confessio est. Non putabant ergo posse eas precibus fidelium viventium, admitti ad regnum cœlorum ante resurrectionem; proinde cum sententia hæc in Romana Ecclesia sit nunc explosa, si quis precaretur pro mortuis in tali statu constitutis, non satisfaceret Ecclesiæ Romanæ placitis. *Ἄδης* nomen esse commune apud veteres verum est, pro statu animarum à corpore sejunctorum, communeque esse utriusque statui tam piorum quam impiorum. Quod vero locum spectat, si id veteres non definierint, illum definivit vetustior Apost. Paulus 1. Cor. v. 1. *Scimus, inquit, si terrena hujus domus nostra tabernaculum dissolutum fuerit, adificium ex Deo habituros, domicilium videlicet, non manu factum aeternum in cælis.* Et vers. 4. *Qui sumus in hoc tabernaculo suspiramus onerati; in quo non cupimus exuisit superindui, ut absorbeatur mortalitas à vita.* Ex his apparet domicilium non munufactum, in cælis, post dissolutum nostrum tabernaculum, hoc est post separationem corporis & animæ unicuique verè fideli esse paratum, nec post hanc

hanc vitam quicquam esse cur suspirent aut  
sint onerati. Ex quo loco etiam patet respon-  
sio ad tritam illam Pontificiorum quorundam  
argutiam, quam hic nobis reponit annotator,  
*nihil in cœlum intrare, nobis fatentibus, cui adsint illæ*  
*infirmitates quæ humanis animis in hac vita adsunt,*  
*ubi igitur existimemus repurgationem ab illis infirmi-*  
*tatibus fieri. Si in itinere animæ inter terram cœlum-*  
*que, jam hoc erit eis purgatorium. Si tale quid fie-*  
*ret in itinere inter cœlum & terram, non se-*  
*queretur esse tale purgatorium quale singitur*  
*in flammis infernalibus, non enim hoc iter est*  
*ad cœlum. Sed dicimus tunc animam fidelis*  
*esse penitus purgatam ab omnibus peccatis,*  
*quando exuit corpus illud mortale, cui quam-*  
*diu jungitur anima, concupiscentiæ obnoxia*  
*est, quæ penitus cessat, cum à materia separata*  
*est. Proinde pii omnes transeunt à statu misé-*  
*riæ in statum gloriæ, à morte ad vitam, purgati*  
*sanguine Christi, & à Sp. sancto penitus rege-*  
*niti. Vetus quidem homo hic, de die in diem, re-*  
*novatur. Sed quod hic fit sensim & per gra-*  
*dus, uno momento absolvitur, quando novus*  
*homo reddit animam suam Deo. Et hæc est*  
*mortalitas illa quæ absorbetur à vita, mortalitas*  
*nempe illa reliqua in corpore mortis, id est in ve-*  
*teri homine, quæ absorbetur à vita, qua non*  
*solum peccatum non regnat amplius in mor-*  
*tali corpore, sed nec habitat quidem. Sic Me-*  
*thodius Mart. apud Ephiphanium Hæresi LXIV.*

quæ fuit Origenistarum, qui postquam ex cap. vii. Epist. ad Rom. probavit, nondum in hominibus regenitis peccatum ab ipsis radicibus extingui potuisse. Neque enim, inquit, funditus est extinctum, sed etiamnum vivit. Qui enim istud posset antequam homo morti esset addictus, ut cum eo corruptum atque consumptum funditus quidem ipsum extinguitur & pereat, planta instar, quæ dissoluto, in quo abditis se a radicibus conservabat, emoritur: Homo verò nullam jam insitam habens amaritudinis radicem ad vitam resurgat? Itaque ad peccatum velut extirpandum penitusque delendum opitulator noster ac verè medicus Deus, mortem, quasi auxiliare quoddam medicamentum adhibuit, ne malum in nobis, ut pote immortalibus, excitatum sempiternum maneret; nos autem pessimè affecti & à propria virtute agrotantum more desciscentes, diutius in eo statu maneremus: cum ingentem ex peccato morbum in perpetuis & sempiternis corporibus aleremus. Proinde, ad utriusque representandam salutem, anima scilicet, ac corporis, Φαρμακούλην τεόπον ναζάρεως τὸ θάνατον δὲ Θεὸς ἡνέχειτο, ἵνα πανάμωμος καὶ αἰσινῆς δὲ τος ἐξεργασθῶμεν. quasi medicam quandam purgationem, ita mortem Deus excogitavit, ut nos immunes ab omni damno integrosque praestares. Hæc ille qui in sequentibus id pluribus argumentis & similitudinibus illustrat. Libenter quærem à D. Annotatore, quamnam purgationem existimet posse fieri post hanc vitam? An per alias pœnas? At pœnæ per se non  
pue-

purgant, imò qui pœnarum tantum debitor est non propterea sordidus est, cum pœna non faciat sordidum, ut alicubi Bellar. loquitur. Quid ergo? Dicetne pœnas admotiere peccati, & ad pœnitentiam invitare? Id verum est quamdiu sumus in corpore, at post mortem nullus pœnitentia locus, nullus satisfactionis effectus, ut rectè loquitur Martyr Cyprianus. Quod de Martyribus tradit Apocalypsis, inquit, idem de spiritibus justorum τετελειωμένων, ut loquitur Epist. ad Hebr. xii. 23. censuere nonnulli Hebraorum. Putant enim post tempus τελειώσεως, id est purgationis, spiritus illos in cælum recipi. Nos id non solum putamus, sed credimus. Verum, tempus τελειώσεως est vita præsens, in qua sanguis Christi nos purgat ab omni peccato, & nos perficit τελείωτης noster, qui μία ὁρά τετελείωκεν εἰς τὸ διηνέκτη τὸν αἷμαζωμένος. Id Judæorum Rabbini ignorarunt, aut ignorare voluerunt. Itaque aliud quærentes purgatorium, à via aberrarunt: sic etiam Ethnici, & Turcæ, quorum hoc est commune figmentum. nec mirum in illis, sed in homine Christiano non excusandum. Relinquimus ergo Judæis suum Hagigam, suum Midrach Aneholam, suum Rabbi Mosem Barschemtob. Unicus Rabbi noster ille est, qui unicus Doctor & Magister noster, neimpe Christus, quem cæci Judæi non neverunt. Magister ille non docuit nos, totum Israelem partem habitatum in futuro seculo. Impios etiam qui nulla ducuntur

pænitentia , nulloque propter sua peccata mærore premuntur , per duodecim menses in inferis passuros , ac postea demum partem suam consequuturos in vita aeterna , sed non adeo magnam quam justi & pii . Iis vero qui Deum prorsus abnegant , & sanctum ejus nomen profanant , ut qui fiunt Christiani , præputium de novo crescere , quasi nunquam circumcisí fuerint , illosque in æternum in inferis permanere . Non docuit summus ille Rabbi liberationem è purgatorio fieri precatione quadam quam vocant קדיש Kadisch , per quam liberatur pater , si eam filius recitet per integrum annum quotidie , per quam etiam pia uxor poterit maritum suum ab inferis liberare . Multa impia habent de resurrectione mortuorum , de volutatione corporum per cavernas terræ , quoisque perveniant in terram Canaan , & alia nugis nugacissimis vaniora , quæ qui pleniū scire voluerit , ea verbis eorum expressa habebit apud Buxtorfum Syn. Judaicæ c. i. editionis novæ Basileensis . Non male addit D. Annotator , *Hec ut in magna rerum istarum caligine sobriè & circumspectè tractanda esse* ; sed an hactenus fuerint ita tractata , & præsertim à Judæis & Pontificiis , norunt qui in fabulosis eorum libris sunt versati , & verum fateri didicerunt . Si veteres habemus Liturgias genuinas sine additamentis , nulla forte esset occasio cur damnarentur . Sed in suppositiis illis quæ nunc prostant , non pauca sunt

funt quæ non approbant ipsi qui adulterinas has merces extrudere volunt. In Canone Ecclesiæ Romanæ nulla mentio est eorum qui sunt in purgatorio, sed tantum eorum *qui dormiunt in somno pacis, quæ pax*, non est ustulatio infernalis.

*Si Christus nunquam expressè reprehendit orationes pro mortuis apud Iudeos fieri solitas, quarum formula extat in Thalmude, inde non sequitur quod eas approbaverit, veletiam quod tempore quo in terris versabatur, in usu fuerint. Nam formulam illam factam fuisse in exilio Babylonico, id assumitur non probatur. Si vivorum preces defunctis fuissent utiles aut necessariae, non dixisset Christus Mat. viii. v. 22. discipulo petenti veniam abeundi ut sepeliret patrem suum, Sine mortuos sepelire mortuos suos.* qua loquendi formula indicare voluit curam hanc, quamvis non negligendam cæteris paribus, minus spectare eos qui Christo vivunt: quod non dixisset, si ad mortuorum exequias preces & sacrificia fuissent necessaria. Quot sunt nugamenta in Thalmude, quorum Christus nusquam meminit? sufficit quod sæpiissimè damnavit traditiones hominum, & fermentum doctrinæ Phariseorum. Quod Paulus nos monuit contra fabulas Iudaicas. Nec ad id quicquam facit Epitome Iasonis Cyrenæi, in quo sit mentio oblationis pro mortuis, quæ in veteri lege exactissimâ nullum habet fundamentum. In hi-

istoria sacra veteri sàpè fit mentio eorum qui collecti fuerunt ad patres suos in pace; nullibi quod pro eis fusæ fuerint preces. In sepultura Saræ, Iacobi, & Patriarcharum, luctus & clamoris fit mentio, precum autem pro animabus defunctorum, nec vestigium extat, nec volta. In novo Testamento legimus funera fuisse deducta, extra civitatem, sed sacrificia fuisse pro mortuis oblata, aut pro iis precatos fuisse vel Sacerdotes, vel amicos, ne verbum quidem habetur. Cum Iudæi qui consolabantur Mariam sororem Lazari, vidissent eam egredientem, dixerunt inter se, *abit ad monumentum ut fleat illic*. Joan. xi. 31. Non dixerunt *ut oret pro defuncto fratre*. In prima Ecclesia toleratos fuisse qui pro mortuis baptisabantur, non probatur ex controverso loco 1. ad Corinth. xv. cuius est alijs sensus. Neque si is esset quem verba videntur præ se ferre, propterea mos ille approbaretur, quamvis ex eo deduceret Apostolus argumentum ad hominem, pro fide resurrectionis. Deinde, quæ tolerantur, non laudantur, neque ad imitationem proponuntur. Cautio Ger-  
sonis merito laudatur; optimum est enim vita manente, ea omnia præparare quæ ad beatam mortem conducunt. Quicquid autem Synodus Tridentina statuerit, non caverunt nec ad-  
huc cavent Scholastici curiosas quæstiones, nec Le-  
gendarii fabularum commenta; nec eorum ulli quæstuum aucupia; nec hoc seriò cautum vide-  
tur,

tur, quandoquidem purgatorium ipsum mera est fabula, ex qua reliqua necessario consequuntur. De libro *VVicelii de hoc argumento*, nihil habeo quod dicam, qui nondum venit in manus meas. In *via regia* dicit se retulisse de consuetudine veterum, qua olim in *Liturgia exercuerint precationem pro defunctis Christianis*: verum illam consuetudinem ad hodiernas mercenarias, culinarias, atque dedecorosas nundinationes nullo modo pertinere.

---

### *De Monachatu.*

**M**ONASTICA vita, id est abducta à turbis & seueriori innixa proposito exemplum habet in Nazareis, in Elia & prophetis quibusdam, in Rechabitis, deinde in Eessenis. Et certum est multos in primo Christianismo talem exercuisse vitam in suis domibus. Persecutiones in Ægypto occasionem dedere secedendi in loca deserta, & ibi vivendi liberius, nemine impediente. Idemque fuere apud veteres, ἀναχωρηταὶ, ἀσκηταὶ, μοναχοὶ, quorum habitatio in locis solitariis. Tales etiam nunc sunt in Oriente, & ex eorum probatissimis sumuntur presbyteri, maximè vero episcopi, ut olim Basilius, Chrysostomus, & alii: Nec illi ad victimum quærendum molesti sunt cuiquam. ex suis vivunt operis, & ita parcè, ut inde & alios pauperes adjuvent. Hæc vita à Basilio egregiè descripta laudanda potius quam improbanda est, & tamen discernenda adminicula pietatis ab ipsa ejus substantia. Cæterum sicut vota rerum honestarum in nostra potestate posita violari non debent, ita homines suarum virium ignaros, minimè ad tam sublime propositum præparatos, admitti ad vota

perpetua valde periculosest, & multis, vt apparuit, malis obnoxium. Deinde vsus factus est longè alius, vt exonerentur familiae, vt laetior sit aliorum hæreditas, non vt illi meliores. Quare optimum videtur institutum Patrum Oratorii & quorundam virginalium cœtuum, vt libertas discedendi maneat, aut Iesuitarum, vt id liceat venia à cœtu impetrata. Præterea accidentus est monachorum numerus, quorum otiosa multitudo reipublicæ nocet, & Ecclesiæ est planè inutilis, si non & damnoſa reipublicæ & ecclesiæ: qua de re multa dici verè possent, si non satis nota eſſent omnibus. Deinde qui restabunt, serio debent emendari, & ad antiqua instituta, quantum fieri potest retrahi, Papæ & episcoporum cura, sed & regum. Vota non omnia eſſe illicita docet nos Lucæ narratio de Paulo: & ita olim seiferat Lutherus: sed cauendum ne quid vogueatur quod legi diuinæ contrarium fit, aut aliquando eſſe possit: ne lèdanter jura eorum quorum sumus in potestate: ne temerè & improuide vota fiant: deinde ne credatur in votis talibus eſſe perfectio, sed status facilius aquirendæ perfectionis, vt loquitur Gerson, perfectionis nempe quanta in hac vita possit contingere. Etiam Philosophi monent ne turbæ se facile committant, qui sunt *eu rī ḡaṛgawī*, in profectu ad virtutem.

*Quod de virginibus virginitatis propositum professis* dixit Cyprianus: *quod si ex fide ē Christo dicauerunt, pudicē & castē sine villa fabula perseuerent: ita fortes & stabiles primum virginitatis expedient. Si autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est nubare, quam in ignem delicti suis cadant: & Hieronymus ad Demetriadem: Quibus aperiē dicendum est, ut aue nubant, si se non possunt continere, aut contineant, si nolunt nubere:* idem monachis multis, mutata sexuum voce, aptari potuisse quis non videt? Et vota etiam solemniter facta posse laxari, docent Azorius de votis, Maldonatus in Summa; & multi alii: & exempla habemus in historiis Arra-

Arragoniæ & Poloniæ. Connubia post votum contracta non debere dirimi Augustini erat sententia relata in corpus Gratiani Decr. xxvii. quæst. i. c. Nuptiarum.

## ANIMA DVERSIO.

**M**Onasticam vitam, habere exemplum in Nazaræis, in Elia & Prophetis quibusdam & Rechabitis, dicitur quidem, sed non probatur. Omnes enim illi potuerunt sine præjudicio sui ordinis in conjugio vivere, & liberos procreare, quod à Monastica vita, quam vocant, ita alienum est, ut talibus defuerit votum, quod maximè tali vitæ, ex hominum instituto, essentiale habetur. Nec ulli de quibus hic fit mentio vel paupertatis vel obedientię votum cœlibatui addiderunt. Rechabitæ habitabant quidem in tabernaculis, sed familias alebant. Abstinebant à vino, quod pauci faciunt Monachi. In eo quidem & in eo quod domos non ædificarunt, nec in urbibus habitarunt, obsequuti sunt mando Parris, non tamen ut ea ratione mererentur apud Deum, vel ut austeriore vita aliquid Dei mandatis supererogarent; sed ob rationes quæ statum eorum in populo illo peregrinantium respiciebant. Nec aliquid eis patens imperavit quo religiosiores essent, in talibus enim non consistebat religio, sed ut expeditiores essent, cum partem non haberent in terra Canaan, & ex uno loco in aliud commodius migrare possent, id exigente persecutio; quod ab iis factum est, cum post Israëlitarum X. tribuum

deportationem, secure non possent vivere extra Ierusalem, in qua erant tunc, cum Ieremias Judæos, eorum exemplo redarguit. Itaque eorum factum nihil quicquam spectat ad Monachatum. Prophetarum filii fuerunt eorum discipuli quos certis in locis instituebant, non illigatos votis, id enim de eis probari non potest. De Essenis qui à Philone describuntur, verum est eos coluisse vitam communem, & habuisse sua instituta, quosdam etiam cœlibes inter eos fuisse. Sed novam fuisse apud Judæos sectam, & extra Judæam, ex eo apparet, quod eorum nulla habeatur mentio in libris veteris Testam. Nec apparet ex novo, Christum eorum aliquam habuisse rationem. Accedit, quod non pauca sunt, in quibus hodierni Monachi ab iis longè distent. Non imus inficias, quod alibi etiam ostendimus, nonnullos veteres Christianos, *persecutionem fugientes, ac in desertis latitare cupientes, necessitatem vertisse in voluntatem,* ut de Paulo Eremita loquitur Otho Frising. Chron. lib. 4. cap. 5. Nec vitam solitariam & à turbis remotam, justis occasionibus & bono fine suscepit, atque ex vocatione divina institutam rejicimus; qua de re pluribus egimus Cathol. Orthod. Tract. II. Quæst. 23. Nec contemnimus ea quæ pluribus exposuit Cæsander ad Artic. xxv. Cujus vestigiis insistens D. Annotator, si possit ea nostris adversariis probare, quæ in hoc suo annotato præscribit,  
non

non habebit nos difficiles. 1. Si Monachi illi, ad victimum quarendum nemini sint molesti, ex suis vivant operis; & ita parcè, ut inde alias pauperes adjuvent. 2. Si bene discernant adminicula pietatis ab ipsa ejus substantia. 3. Si homines suarum virium ignari minimè ad tam sublime propositum preparati, non admittantur ad vota perpetua, quod valde periculose est, & multis malis, ut apparuit, obnoxium. 4. Si non in eum usum suscipiatur, ut exonerentur familia, & lautior sit aliorum hereditas, non ut illi meliores. 5. Si accidatur Monachorum numerus quorum otiosa multitudo nocet Reipub. & Ecclesia planè est inutilis, si non utriusque damnsa. 6. Si qui restabunt serio emendentur, & ad antiqua instituta retrahantur, quantum id fieri poterit. 7. Si caveatur ne ledantur eorum jura quorum sumus in potestate. 8. Si non credatur in talibus votis esse perfectio &c. Denique, si monachis multis, mutata sexuum voce, aptetur, quod Cyprianus & Hieronymus virginibus quibusdam virginitatis propositum professis, sed qua perseverare vel nolebant, vel non poterant, ut nuberent, potius quam in ignem delictis suis caderent. Hæc certè talia sunt in regno Pontificio, qualia præscribuntur in regno Utopiæ, vel in Rep. Platonis, quæ facilius est præscribere, quam ut impleantur obtainere.

*Vota solemniter facta posse relaxari*, sunt in Papatu qui negent; sunt qui concedant. Sed res est magnæ molis talis relaxatio, quæ tantum conceditur

Paucis

— *Paucū quos æquus amavit*

*Jupiter Capitolinus; nec unquam facta est gratis. Sententia Augustini, Connubia post votum contracta, non debere dirimi, hoc tempore non valet, quantumvis relata in Corpus Gratiani quæst. I. C. Nuptiarum. Caus. xxvii. Locus est de sumptus ex lib. de Bono viduitatis cap. ix. & x. de quo vide quæ habet Claudius Espensæus de Continentia, lib. v. cap. i. ubi conatur illum cludere, quamvis initio dixerit, Augustinum tam hic clarum, ut facilius negetur quam solvatur. Sed de loco Epiphani contra hæresim Apostolicorum, quæ est numero lxi. in quo dicit, Melius esse à cursu lapsum, palam sibi uxorem sumere juxta legem, &c. magis videtur sollicitus. Secari, inquit, facilius, hoc est ut non sibi conveniens negari, quam solvi potest Epiphanius. Et tandem concludit, Ut cumque pauci hi senserint, illustres sanè homines, sed tamen homines, non potest singularitatis studio vacare, solitarium potius paucorum sensum, quam universalem Patrum Synodorumque sequi consensum. Vilis est autem vir ille, inter Sorbonicos suo tempore moderatissimus; hic tamen tam parum æquus, in eo libro in quo Inquisitoribus minus satisfecit, qui eum inter prohibitos secundi ordinis collocarunt; ut inde patet, quænam reformatio ab aliis sit expectanda in majoribus, qui ne in minimis quidem, quicquam concedunt. Nec aliam apud eos se gratiam initurum existimare debet D. Annator,*

tator, quam ut libri quibus eam videtur am-  
bire, augeant *Indicem librorum prohibitorum pri-  
mi generis*, etiamsi nihil aliud peccaret, quam  
in eo quod suadet emendationem Mona-  
chorum.

---

### *De Canonicis.*

**O**LIM presbyteri, excepto cœlibatu, non minus strictam regulam sequebantur quam Monachi, abdicatis bonis suis, aut si iis frui vellent, parcè vtentes & abstinentes ab Ecclesiæ prouentibus. Postquam disciplina illa prima, de qua egregia habet Salmasius ad Pallium, labi cœpit, cœpere ab Augustino aliisque clericis ad vetus institutum, quod tunc monachi sequentur, redigi, dicique canonici, quod regulam seruarent. Id vero adeò non mansit, vt Canonici exstiterint dicti irregulares, quod est, vt cum scholis balbutiamus, oppositum in apposito. Et qui sic voce dicti non sunt, sœpè tamen re hoc fuere: & vtinam ne nunc quidem multi sint tales. Sed quid facias cum collegia talia multis in locis impleant Principes ineruditæ, & otiosi nobilis, exclusis illis qui in vita sanctimonia principatum, & ex eruditione nobilitatem habent? Et reges & episcopos cura spectat, hæc vt corrigantur: sed id ita demum sperabimus, si, qui alios corrigerè debent, prius se metipsi corrigant.

**A N I-**

## ANIMADVERSIO.

**T**ales olim fuisse quosdam presbyteros quales hic describuntur, non abnuimus. Sed non omnes hanc vitæ rationem suscepisse, certo certius est. Et quod de vestibus veterum Alacetarum, tam ex laicis quam ex clero dicit ad Tertul. pallium Salmasius, in universum de illo tempore dici potest, *totum hoc arbitrarium fuisse, nec eundem omnium morem*. De Canonorum instituto & initiis, hic multa habet Cassander consideratione digna, ubi agnoscit non absurdè scripsisse Lutherum, his verbis. *Quod initio Episcopatus fuerint Schola, testantur illa vetusta vocabula, Praepositus, Decanus, Scholasticus, &c.* Nomina tantum superesse, rem ipsam obsoletam Cassander non it inficias. De hoc ordine consideratione digna sunt quæ scripsit Abbas Woldcunus Homil. de zizania. *Rara avis in terris hodie Canonicus à canone vita. Vnde ergo? Audi unde. Est namque Canon vita, & est Canon pecunia, videlicet alicujus pensionis certa, unde solet dici, Solve mihi canonem meum, id est pensionem meam. Eja ergo, ô Canonice, inveniamus Canonem tuum, à quo derivaris, hoc est à Canone pecunia, non à Canone vita, id est à Canone regionis, non à Canone religionis.* Alvarus Pelagius lib. 2. de planct. Eccles. Art. xxvi. deplorat multa Canonorum vitia, inter quæ hæc sunt, *quod discordant in Capitulo, & partes*

partes sibi faciunt, maximè circa electiones, in quibus quasi nihil de Deo agitur, sed sequuntur carnalitatis affectum. Quod cum discordiis & questionibus & frivolis appellationibus, gravant Ecclesiam & electos. & contra jura & conscientiam facientes ad restitutio-  
nem expensarum & damnorum & interesse, predicti  
tenantur in conscientia, &c. accumulant pecuniam  
de prabendis, nec pauperibus quasi aliquid largiuntur.  
Rectè igitur improbat annotator, quod cum  
olim dicti fuerint Canonici, qui regulam serva-  
rent, nunc Canonici sint irregulares dicti, quod est,  
si cum Scholis balbutiendum, oppositum in apposito.  
Item, quod qui sic voce dicti non sunt, sepe tamen &  
re hoc fuere. Laudavit Cassander dictum Al-  
berti Crantzii, qui Canonicum secularis ap-  
pellabat, monstrum sine exemplo: Regularem, sine  
regula, Canonicum sine Canone. Quo nomine  
Cassander miserè vapulat à Joanne Conen  
Priore cœnobii S. Mariæ à Tongerlo, in præ-  
fat. Inevitabilis Honorii Augustodunensis, quod  
vult à Cassandro fuisse corruptum. Cum, in-  
quit, extra Dei Ecclesiam esset, scripsit manere tan-  
tum vestigia communis & Canonicae vita in adiunctis  
& nominibus. Addidit deinde regula desertores esse  
dictos monstroso nomine Canonicos secularis, &c. Au-  
din', amice Lector, Viri nomen, Constantiam, Ze-  
lum, Spiritum? Qui non vocatur ad consilium veni-  
re, de capessenda religione sententiam dicere; Canoni-  
corum Collegia, imo clerum totum, Ecclesiam ipsam  
Romanam, adeoque supremam & Catholicam, judi-  
care

care & reformare præsumpsit. Et paulò post, *Quid est consequens & nisi Cassandram abiisse aliquando in consilium impiorum, & in via peccatorum stetisse, & in Cathedra pestilentie moderatorem sedisse*, ut novam formam religionis cuderet & imo, ut cum B. Gregorio loquar, se Diaboli malleatorem effectum ostenderet, aut se manus infernalis fabri malleum ad tunquam Ecclesiam & formandam Religionem aptum se exhiberet. Hæc ille. Ex quo percipere poterit D. Annotator, quam gratiam expectare debet pro illo suo simili conatu apud Pontificios, maximè pro vocibus illis veris certè & liberis, quibus annotatum hoc suum voluit claudere.

### De potestate Ecclesiastica.

**C**VM episcopis commissum sit Ecclesiæ regimen, Heb. xiii. 17. & nullum sit regimen sine jure constituciendi quædam, sequitur hinc episcopum cum presbyterorum ordine in sua ecclesia, & episcopos canonice congregatos in pluribus ecclesiis, quædam constituere posse, non contra jus divinum (id enim nemo dixerit) nec vt istæ constitutiones æquentur diuinis legibus, nemus vt præferantur, sed ad *κακίαν*, secundum præceptum Apostoli 1. Cor. xi. 16. XIV. 33. Deinde ad cauenda ea quæ infirmos animos à recto cursu possent auerteire, quod referri solet à multis decretum illud Act. xv. 20. Præterea ad magis parados animos pietati, quod spectant stata jejunia, per omnes Mundi ecclesias visitata, & alia quædam. Sic Christus & Apostoli obtemperarunt

runt constitutioni de itinere Sabbati per sapientes definito, & de hora vna antè, vna post sabbatum addita ad majorem cautionem. Benè ait Gerson de actibus internis nihil præcipere posse Prælatos : nec quicquam adjicere Fidei capitibus, aut legi diuinæ tanquam ejus partem. de externis, obligare, quatenus diuinis legibus, in quibus est & illa de pace & ordine servando, & cauendis offendiculis, serviunt : ita fermè quomodo Medici præceptum obligat ad non bibendum vinum, in tali aut tali valetudine. Idem rectè docet constitutionum multitudinem sèpè in causa esse cur Dei præcepta, quæ sunt potissima, negligantur : & eam vim esse consuetudinis longæ ut omni humanæ constitutioni obroget. Remissionem peccatorum Catholici ne iis quidem operibus acceptam ferunt quæ à Deo præcipiuntur, multò minus iis quæ homines, quanquam salutariter, præcipiunt. Necessitatem quoque agnoscunt non nisi ~~in~~ ~~tempore~~, qualem Ecclesia pro temporum & locorum ratione intendit, aut remittit. Omnia quæ hic dicit Casander egregia sunt.

His ita post Cassandrum discussis monendos arbitror Catholicos ne adeò indignentur, si res quædam mediæ, sed quarum abusio frequens erat & continua, repudiatae sunt à Protestantibus, cogitentque quid de serpente æneo fecerit Ezechias. Protestantes verò monendos censeo, ne idolatriæ accusent ea quæ vident placuisse illis ecclesiis, quarum societatem negant se fuisse declinaturos si in illa incidissent secula. vtrosque, ne convitiis potius quām rationibus certent: ne alter alterius sententiam verbis aliis proponat, quām ille eam exprimit : deinde illationibus, sèpè illegitimis & ad animos tantùm exulcerandos pertinentibus, traducat. deinde verò ut canones Apostolicos & alios ævi proximi in usum reuocent, tūm in rebus aliis, tūm maximè circa electiones episcoporum & presbyterorum. Vbi mores correcti erunt, facilius de dogmatibus & ritibus

O

con-

conueniet: cōque magis, quod diligens lectio post literas velut renatas effecit ut utriusque & commodiūs loquerentur, & offendicula quādam auferrent. Quia verò nonnullae quæstiones in disputationem vocari frequenter solent, præter eas quas artigit Cassander, etiam de his quādam ad pacem non intilia dicemus.

### A N I M A P V E R S I O .

**D**E his agit Cassander ad ARTIC. XXVI. Confessionis Augustanæ, & jam actum est supta ad artic. VII. & XV, Extra controversiam est, *Obediendum esse ductoribus nostris & obsecundandum*, quod monet Apostolus citato loco. *Nullum autem esse regimen sine jure constitueri quādam*, ambiguè dicitur. Sunt enim variæ regiminis species, quibus non competit eadem iusta. Regimen Ecclesiasticum à politico longè differt, nec est æqua potestas eorum qui Ecclesiam gubernant, & eorum qui dominantur in regnis aut Rebus publ. Deinde in statu Politico, si reges, aut Ordines Rerumpubl. aut civitatum supremi magistratus, habeant potestatem condendi leges; non eadem sunt prædicti potestate eorum legati, aut subalterni. Multo minus in Ecclesia, ubi agitur de legibus quæ conscientiis imponi debent, & de obedientia Deo debita; cujus legum promulgatores, non autores, sunt ministri Dei, & dispensatores Mysteriorum ejus, non suorum. Neque tamen negamus eos qui nomine Regis nostri Jesu Christi, legatione funguntur, posse

posse quedam constituere, non quæ divinis legibus aquen-  
tur, sedum ut preferantur, ut recte monet D. an-  
notator, sed ad d. ~~magis~~ juxta Apostolum, quod etiam ante locis supra citatis, ostendim-  
us. Alietiam fines hic expositi, nobis non  
improbantur. Modus tantum sit in numero,  
nec onus imponatur liberis capitibus sine ne-  
cessitate, quam Apostoli quamvis majori potes-  
tate & autoritate praediti, spectarunt, in suis  
constitutionibus, ut apparat ex illa de qua  
Act. xv. vers. 28. *Visum est Sp. sancto & nobis, ne  
quod amplius vobis imponeremus onus, præter necessa-  
ria ista.* Id est, ad quæ eos adigebat tunc præfens  
necessitas, nempe ad præcavendum scandalum  
eorum qui ex Judæis recens erant conversi.  
Quæ non tam fuit nova constitutio, quam ve-  
teris observationis continuatio ad tempus,  
quatenus erat utilis, & nondum mortifera. Gersonis in ea re sententiam, antè multos an-  
nos opposuius Jesuitis Catholic. Orthod.  
Tract. 2. Quæst. ix. Multa de hac materia ha-  
bet notatu digna in tertia parte, libr. de Vita  
Spirituali animæ, lect. iv. Quod dicit eam esse  
*rim consuetudinis longæ ut omni humana constitutio-  
ni obroget*, id non absolutè intelligit, sed cum  
exceptione, nempe quod lex humana vel positiva  
potest abrogari, in eo quod non necessario participat,  
cum naturali & divina. Hoc sensu obrogatio fit per  
consuetudinem oppositam. Sic enim ille, Corol.  
xiii. Sic abrogata fuit constitutio illa Aposto-

lica de sanguine & suffocato. Hic non erit inutile repetere quæ Th. Beza in libello *de Pace Ecclesie ad Cælarem & status Imperii Augustæ congregatos*, scripsit. Per Ecclesiasticam, inquit, politiam, ritus etiam ceremoniasque omnes intelligo. Hic vero tantum abest ut veteres Canones, & Ecclesiæ consuetudinem, sive scriptam, sive ut non scriptam, repudiem, ut contrà nihil magis urgendum putem, quam ut pristina illa Ecclesiæ species instauretur. Sed hæc simul, & quidem nisi fallimur equissima, atque adeò plane necessaria, postularim. Vnum, ut si quæ per se impia, vel superstitiosa, id est à Dei verbo ullo modo aberrantia deprehendentur, semel aboleantur. Alterum, ut inutilia tollantur; & quum non omnia omnibus temporibus & locis convenient, quacumquer tinebuntur, ad circumstantias locorum & temporum, bona fide accommodentur. Tertium, ut sive in tollendis, sive in constituendis illis, nulla temporis præscriptio valeat, sed sola Ecclesiæ adificatio, ipsaque adeo veritas queratur, id est non quid à quibus quam pridem sit usurpatum, sed quo jure, quoque fructu sit factitatum, & an nunc quoque retineri possit aut debeat sedulo spectetur. Hæc ille. Ex quibus liquet nostros ab initio fuisse studiosos pacis, nec Ecclesiarum præpositis aut ductoribus, voluisse eripere munus constituendi nonnulla ad Ecclesiasticam politiam & ritus spestantia.

Remissionem peccatorum Catholicos ne iis quidem operibus acceptam ferre qua à Deo præcipiuntur &c.

Quia

Quia per *Catholicos* annotator intelligit Pontificios, miror cur id ausus fuerit scribere, qui nuper voluit, *opera pœnitentia esse sacrificia propitiatoria*. Quod si verum sit, quomodo operibus illis non fertur accepta peccatorum remissio? Non potest ignorare quid in regno Pontificio doceatur, de oratione, de eleemosyna, de jejunio & talibus operibus, quod per ea remittantur peccata, quod sint satisfactoria, &c. Nec eum latet quomodo plerique eorum interpretentur verba illa ad Nebucad. Dan. iv. *Peccata tua eleemosynis redime*. Luc. vii. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. &c. de quibus videatur Bellarm. libr. ii. de pœnit. cap. 12. cuius titulus est, *Contritionem Causam esse remissionis peccatorum*. Quid promittant Bullæ Pontificales observantibus certa jejunia, ad sacra loca peregrinantibus; porrigentibus manus adjutrices monachorum familiis &c. notius est quam ut longa probatione opus sit. Qui viderunt Testamenta, quibus conferuntur Ecclesiis, aut Claustris monachorum prædia & fundi, non ignorant quo fine id faciant, nempe pro redemptione animæ suæ, pro remiss. peccatorum suorum. Sic Castellanus Gandensis Hugo, & Maria uxor ejus anno 1243. censum Capitalem manumissorum suorum in Wasia, concedunt Ecclesiaz S. Mariæ Antuerpiæ, divina pietati intuitu, ac in remissionem peccatorum suorum. In Diplom. Belgicis

Auberti Myrai. Orationis fructum esse satisfactionem pro peccato, & meritoriam esse majoris gratiae & glorie ; Jejunium esse satisfactionem & meritorium. Eleemosynam quoque meritoriam esse & satisfactionem pro peccatis, contendit Bellatit. toto libro de bonis operibus in particulati, quod illi est cum omnibus aliis commune. Hæc cum sint adeo protrita, non potuit ignorare doctiss. annotator. Oportet igitur subesse aliquam ambiguitatem, cum absolute negat *iis quidem operibus quæ à Deo præcipiuntur*, *muito minus iis quæ homines, quam salutariter præcipiunt*, suos Catholicos acceptam fert remissionem peccatorum.

Admonitio sequens, tum ad eos quos vocat Catholicos, tum ad Protestantes, ab utraque parte pensabitur pro uniuscujusque prudentia. Pontificii non libenter passuri sunt, si de suis constitutionibus, circa res quæ amplius illis mediæ non sunt, quando consciqñis hominum ab iis qui in Ecclesia dominantur, impotæ sunt; idein fiat quod ab Ezechia de serpente æneo : Protestantes autem non cessabunt ab accusatione Idololatriæ, quod escumq; hominum constitutiones præferti videbunt mandatis divinis, tam in earum exactione, quam in transgressorum poenis. Quod si quis neget fieri, negabit etiam solem meridie lucere. Quis nescit innumeros potius electuros, ut nomen Dei in vanum accipiant, & scottis miscantur,

sceantur, quam ut die Veneris, aut quadragesimæ tempore, ovum sorbere velint? Laudandum certè esset ab utraq[ue] parte, ne quis *convitiis potius quam rationibus certaret*; nec alter alterius sententiam verbis aliis proponeret, quam ille eam exprimit, vel traduceret illegitimis illationibus, & odiosis; quod velim observatum fuisse à D. Annotatore in sua *Appendice*, & in suis ad Jacobi Epistolam notis. In illo etiam libello qui editus fuit Amsterodami de *absoluto reprobationis decreto*, quem dicunt ab eo fuisse ex Anglico scriptore breviatum & latinum factum. Hoc si verum sit, non satis ad primum revocavit hanc suam admonitionem. Canones Apostolicos verè tales, quales reperiuntur in Historia & Epistolis Apostolorum, sed alio revocarunt Protestantes, saltem in Gallia & Belgio, circa electiones Episcoporum & presbyterorum. Alios autem Canones, quorum multi sunt suppositi, non tenentur revocare, nisi quatenus convenient cum veris illis, & genuinis. Verum est facilius fore ut de dogmatibus & ritibus convenient, si mores utrinque corrificantur; sed tamen probati mores & vita inculpata, semper requirent doctrinam, ad amissim verbi Dei exactam, & ab omni superstitione alienam.

Hucusque D. Annotator Cassandra sequitus, cum eo & post eum annotavit quæ visa sunt ad scopum quem sibi proposuit accōmo-

O 4 data,

data. Deinceps paucis pagellis , alia attingit nonnulla , quæ omisit Cassander , de quibus profitetur se dicturum *qua ad pacem non erunt iniuriae*. Ejus sequemur etiam in iis vestigia, & an ita sit, videbimus.

---

### *De Canonicio Scripturis.*

**D**E libris Novi Testamenti convenit utrinque. Veteris autem Testamenti libros , quos Canonicos agnoscunt Protestantes , qui hac in se Iudeos & Athanatum , Cyprianum & maximè Hieronymum , fermè & Concilium Laodicense sequuntur , eosdem Catholici agnoscunt. Catholici ex decretis tūm Florentinæ , tūm Tridentinæ Synodi addunt libros Tobiaz , Iudith , Maccabæorum , Baruch , Ecclesiasticum & Sapientiæ . Nam additamenta ad Esterem etiam post Synodum Tridentinam abdicat Senensis : & idem puto alias facere de additamentis ad Danielem , præsertim cum Latinis codices , ad quos Tridentina nos remittit , varient. Canus etiam de Baruchi libro putat sine culpa hæreseos posse dubitari locorum Theologicorum II. 9. Utiles esse eos libros quos in canone ponit Synodus Tridentina , Protestantes non negant : & in ecclesia Anglicana libri isti legi solent. Conciliaturam nobis dat Hieronymus in præfatione ad Proverbia , qui ait utiles eos esse ad ædificationem plebis , non ad ecclesiasticorum dogmatum auctoritatem confirmandam , quæ eadem fermè verba Cajetanus usurpat in hac re , fine Commentariorum ad vetus Testamentum. Cardinalis Bellarminus postos ait in gradu inferiore , approbante hoc ipsum Iacobo Magnæ Britanniæ rege. Nimurum non sunt hi libri à Prophetis aut scripti aut approbati , ut illi quos Hebrei agnoscunt : sed Ecclesia Christiana , aut certe magna

magnæ ejus partes , credidere nihil esse in his libris quod non cum illis quos omnes agnoscunt , bene conveniat . Solent quædam hic objici , ad quæ in nostris ad eos libros annotatis respondebimus .

## ANIMADVERSIO.

**N**HAC quæstione , circa distinctionem librorum utriusque Testamenti , qui solent in eodem volumine , Bibliorum nomine comprehendendi , ita loquitur D. Annotator , ut quamvis concedat nonnulla , quæ videantur favere definitioni Tridentinæ , non potuit tamen tantam vim facere conscientiæ suæ , ut ad primam & priorem antiquitatem , ne ad medium quidem referret , quæ de libris controversis nunc in Papatu creduntur . De Novi Testamenti libris , verum est utrinque convenire , nec si quidam nonnullos in dubium revocarunt , eorum opinionem obtinuisse . Alia est ratio librorum Veteris instrumenti . Fateturille , nos in enumeratione horum librorum sequi Judæos , Athanasium , Cyprianum , & maximè Hieronymum . Sed cur alios omittit ante Hieronymum aut circa illud tempus ? Melitonem Sardensem , Origenem , Eusebium Cæsariensem , Cyriillum Hierosolymitanum , Basilium , Gregorium Nazianzenum , Amphilochium , Epiphanius &c. inter Græcos . Tertullianum , Hilarium Pictaviensem , Philastrium inter Latinos ? Hieronymus autem manifestissimè ostendit

O s se pro-

se profiteri in eo, non quod sibi videbatur, sed quod agnoscet Ecclesia sui temporis. *Iudicij Tobie & Macbab.* libros legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit. Quid evidenter dicit potest & verba habentur praefata. in libros Salomonis. Qui ergo illos libros agnoscamus Canonicos, ex decretis Florentina & Tridentina Synodi, in eo non possunt esse Catholici, qui veteris & purioris Ecclesiae sententiae non adhaerent, & libros quos à Canone rejecit, inter Canonicos referunt.

Ait, additamenta ad Esterem, etiam post Synodum Tridentinam abdicare Senensem, putare se idem alios facere de additamentis ad Danielem. Bellarminus tamen, & ejus defensor Gretserus pro illis additamentis pugnant, tanquam pro artis & focus. Editio etiam Bibliorum Sixti v. & Clementis VIII, non patitur ea in dubium revocari: nec etiam Decretum Tridentinum, quod anathemate ferit eum, qui libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Catolica Ecclesia legi solent, & in vulgata Latina editione habentur, pro sacris & Canonicis non susciperit. Si ergo Senensis aut alius quis, haec additamenta pro canonicas scripturis non habet, non potest effugere illud anathema, nisi illud habeat pro bruto fulmine.

Utiles esse eos libros, quos olim Russicus vocavit Ecclesiasticos. Protestantes quidem non negant, & in Ecclesia Anglicana leguntur; sed non

non patientur tamen vel Protestantes, vel Anglicana Ecclesia, inter Canonicos sub ullo praetextu censeri. Conciliaturam Hieronymi non rejicimus, quæ omnino eos excludit à Canone. Quid enim hoc est, utiles esse ad edificationem plebis, non ad Ecclesiasticorum dogmatum autoritatem confirmandam? tantundem acsi expressè dicoret; non sunt Canonici, non possunt esse fidei nostræ regula. Ergo non divini, non à Spiritu sancto dictati. Cardinalis Bellarminus nullibi, quod sciam, dicit, positos esse in gradu inferiore hoc sensu, ut non sint Canonici, sed Ecclesiastici tantum, quæ fuit sententia Hieronymi & Ruffini; nec in gradu inferiore veritatis; vult enim eos esse divinos, quamvis fortasse concederet ratione autoritatis inferiores fuisse, utpote tardius receptos & agnitos. Sed hoc non sufficit. Voluisse locum indicari, in quo Iacobus Magnæ Britanniæ Rex approbat quod Bellarminus libros illos posuit in gradu inferiore, sensu Bellarminiano. Nihil tale in ejus opusculis reperio. Quod autem D. Annotator subdit, non facit à Prophetis scriptos aut approbatos, ut illi quos Hebrei agnoscunt: perinde est ac si diceret, non esse divinitus inspiratos, quod nobis satis est. Obtineat ergo ut huic suo iudicio subscriptant qui Ecclesiæ Romanæ adhærent, tum in illo Articulo poterit inter partes convenire. Ecclesiam Christianam, aut certè magnas ejus partes, credidisse nihil esse in his libris quod

quod non bene conveniat cum illis quos omnes agnoscunt, non facile probari potest. Sed hoc nihil facit ad rem. Sunt enim multi Scriptorum Ecclesiasticorum libri, qui nihil habent contra Scripturas Propheticas & Apostolicas, & cum iis bene conveniunt; qui tamen cum non sint scripti Sp. sancto inspirante; sed humanâ industria & diligentia concinnati, etiamsi nihil non veri contineant, inter Canonicos libros non sunt habendi. Si ergo ex promissis annotatis, id etiam annotator obtineret, nihil in illis libris esse quod cum Canonicis & cum veritate pugnaret, (quod tamen non existimo de omnibus quæ objiciuntur expectandum,) non propterea culmen illud autoritatis obtinerent, ut utiles essent, ne dum necessarii ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandas, in quo confitit τὸ κερδόμενον.

*De Sufficiencia Sacre Scriptura & Autoritate Traditionum.*

**A**POSTOLI non scripto tantum; sed & ore docuere II. Thess. II. 5. I. Cor. XI. 2. & prius ore quam scripto, sicut & religio primorum saeculorum sola traditione propagata fuit, & Iesus Christus ipse nec scripsit, nec scribendi preceptum dedit, sed praedicandi. Et narrant veteres apud Indos Asiae ecclesias fuisse sine libris per centum annos. Non est autem dubium quin parem autoritatem habere debeant quae Apostoli scripsere & quae dixerent. Augustinus & alii ab Apostolis aut instituta, aut probata ea credunt, quae in omnibus eccle-

ecclesiis recepta semper fuere citra Conciliorum universalium auctoritatem. At in scriptura Novi Testamenti, imò in solis libris Lucæ & Ioannis ea continentur quæ cuivis Christiano, cognitu, speratu, factu sunt necessaria, quia hoc sibi fuisse propositum, alter in præfatione, alter in conclusione operis profitentur. Sed præter hæc multa sunt scitu vtilia, multa ad regimen Ecclesiæ etiam necessaria. Rectè quoque dicitur Scripturæ paratior auctoritas, quia Traditionum probatio interdum est difficilior & laboriosior. Cæterum etiam Protestantes quæ tuentur, ea non sunt omnia *αὐτολίξις* in sacris literis. Dicunt admittendas consequencias. At ipsi consequencias sèpè admittunt ex privato cujusque ingenio: vnde tot & tam grauia inter ipsos dissidia & quotidiana divertia. Catholici verò eas admittunt consequencias, quas admisit vetus Ecclesia, antiquo & universali consensu. Atque ita stat omne verbum in duobus testimoniis, in scriptura & in traditione, quæ mutuò faciem sibi alludent. Nam & scriptis libris credimus testimonio Ecclesiæ, vt verè dixit Augustinus, id est propter traditionem, & traditiones Apostolicas scriptura commendat, vt jam vidimus, & videri amplius potest Deut. IIII. 7. xxxii. 7. Ps. XLIV. I. Esaiæ xxviii. 19. Ierem. VI. 16. II. Tim. II. 2. Act. XVI. 4. & traditio interpretatur Scripturam, vt legem scriptam consuetudo. Sic verba Iacobi, Deus neminem tentat, interpretamur, non tentat hoc proposito, vt peccare eum faciat: quia eam doctrinam vt Apostolicam tradidit Ioannes Polycarpo, & aliis, Polycarpus Iustino & aliis, ex qua Florinum vt mali dogmatis auctorem conuincit Ireneus. Sic traditio nos docet conciliare quæ de Gratia & quæ de libero arbitrio sunt in sacris literis, vt credatur liberum arbitrium, sed ad spiritualia nihil valens natuus, sed datiuis viribus: Paulum cum Iacobbo, vt ad primum statum quo jus ad vitam æternam adipiscimur, sufficere creditur fides, ad dilectionem perducta, ad duram

durationem verò ejus status necessaria sunt pia facta. Multa sunt alia in quibus id quod semper in Ecclesiis creditum, traditumque est, verum nobis scripturarum sensum monstrat contra malarum consequentiarum repettores. Sunt & aliæ traditiones sive constitutiones posteriorum temporum, quibus & ipsis scriptura dat auctoritatem Hebr. xiii. 17. Sed de iis jath egimus ad art. vii.

## ANIMADVERSIO.

**A**postolos non scripto tantum, sed & ore docuisse, extra controversiam ponimus, & prius ore quam scripto, præsentes docuisse. Christum etiam ipsum doctrinam suam scripto non commisisse, verum est. Sed hęc nihil ad rem quæ hoc nostro tempore in controversiam venit. Quæritur an quæ prædicarunt ore Apostoli, alia fuerint, quod spectat doctrinas ad salutem necessarias, ab iis quæ postea scripserunt in Evangelii & Epistolis? At Irenæus, vetustissimus scriptor, testatur eos T V N C Euangelium præconiasse, POSTEA vero P E R D E I V O L V N T A T E M in scripturis nobis tradidisse, F V N D A M E N T U M & columnam fidei nostra futurum. l. 3. cap. 1. Quod fecerunt per Dei voluntatem, id sine Christi mandato fecisse, non potest absolutè dici. Objecserunt quidem illud olim Ethnici, teste August. de Consensu Euang. lib. 1. cap. 7. Cur, cum Dominus nihil ipse scriperit; alius de eo scribentibus necesse sit credere? Respondet ejusdem lib. cap. 35. Cum ipsi scripserunt quæ ille ostendit

ostendit & dixit, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit; quandoquidem membra ejus operata sunt, que dictante capite cognoverunt. Quicquid enim de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam manibus suis IMPERAVIT. Vnde infert, non aliter accipenda quæ narrantibus discipulis in Euangeliō legimus, quam si IPSAM MANVM DOMINI, quam in ipso proprio corpore gestabat, scribentem conspiceremus. Lucas Euangeliſta initio Euang. testatur, quam necessarium fuerit scribere, ea qua tradiderant qui à principio spectatores ipsi & ministri fuerant sermonis. Ad id enim se inductum fuisse ostendit, ut Theophilus agnosceret earum rerum veritatem quas auditione acceperat. Luc. i. v. 2. & 4. In quibus verbis quod diximus clarum est, quæ audita fuerunt, ex ore Apostolorum, debuisse scriptis authenticis consignari, ad agnitionem eorum veritatis. Nam, quæ Apostolis præsentibus certò cognosci poterant ex eorum prædicatione, videbant postea variari posse, si per aliquot annorum ab eorum transitu decursum, fuissent tantum ore tradita à posteris, qui sub Traditionum non scriptarum prætextu quævis commenta potuissent protrudere, quod etiam accidit hominibus non malis, ex judicii defectu, & nimia credulitate, ut de Papia testatur Eusebius, qui ea quæ ex libris petebantur non existimabat sibi tantum allatura subsidii, quantum ea quæ acceperat ex hominum voce & sermone, qui adhuc

1224 ANNOT. ET ANIMAD.  
hac in vita manebant. Inde autem accidit, quod  
alia idem auctor, quasi traditione non scripta ad se per-  
venisse demonstrabat, qua peregrinas quasdam Serva-  
toris parabolias, & novas ejus doctrinas, aliaque non-  
nulla commentitius fabulis refereat, continebant. Addit  
postea, plerisque Ecclesiasticis viris, qui hominis an-  
tiquitatem pro suaram partium defensione citabant,  
autorem faisse erroris, nempe Milleniariorum.  
Vide apud Euseb. Hist. lib. 3. cap. 33. Ubi hoc  
diligenter notandum, quod Papias ex eorum  
voce & sermone qui adhuc in vivis manebant, fuit  
deceptus sub Apostolicæ traditionis prætextu.  
Quid ergo censendum accidere posse iis, qui  
eorum, qui ante tot secula vixerunt, traditio-  
nem prætendunt? Corruptelæ veræ doctrinæ  
apud Iudæos præcipua fuit causa, quod tradi-  
tionibus non scriptis ita fuerunt addicti, ut in  
contemptum apud eos venerint sacræ & divi-  
nitatis inspiratae Scripturæ, ad traditiones com-  
patatae. Iosephus lib. 13. Antiq. cap. xviii. de  
Phariseis scribit, quod γέμιμα πολλὰ παρεδω-  
κεν τῷ θημῷ ἐν πατέρων Αγεδοχῆς, ἀπεξ οὐκ  
διαχειρίζεσθαι. multas constitutiones à majoribus per  
manus acceptas, Pharisei trādiderunt populo, que non  
sunt scriptæ ēn τοῖς μωϋέως νόμοις, inter leges Mosai-  
cas. Inde apud Iudæos distinctio, inter legem  
scriptam & legem oralem, quam dicunt תורת  
תורה שבעל פה Thorah schebeat peh, de qua dicunt, ut  
refert ex Rabbi Mose Mikkotzi, Buxtorfius,  
Quod nisi accessisset ad legem scriptam expositio legis  
oralis,

oratio, tota lex obscura & mera cacica esset. Quam oralem legem dicunt Deum noluisse scriptis mandari, quia sciebat futurum, ut Israelites inter alios populos transportarentur, & gentes ipsorum liberos describerent. Quidam autem eorum dicunt, nullam esse differentiam inter duas istas leges. Ue Abenezra prefat. Comment. in Pentateuchum. sic etiam Concil. Trident. de traditionibus non scriptis, pari pietatis affectu & reverentia cum Scripturis suscipiendas esse decrevit. Alii inter Iudeos oralem legem longè præferunt scriptæ, Ne existimes, inquiunt, legem scriptam religionis nostra fundamentum esse; quia potius illius fundamentum est lex ore tradita; nam propter legem oralem initum est fædus à Deo cum Israëlitis. Sic enim illi in libro inscripto נָהָרַת עֲשֵׂה amudé golah. sive liber præceptorum parvus. Ab iis non longè distant, qui scribunt, Traditionem, non scriptam, esse verum verbum Dei præcipuum, ANTE, SINE, & CVM scriptura, per illam tanquam priorem, & sororem primogenitam, approbari scripturam, ei autoritatem tribui & interpretationem, eandem tanquam MILENOREM dirigi à traditione, & dignitatem & locum aliquem obtainere. Hæc ille, Veritat. III. cap. 4. Non mirum est si, qui adeo contemnunt de Scriptura loquuntur, excæcati postea incident in superstitionem vel impietatem.

Modestius agit D. Annotator. Nam etsi præmittat, Non dubium esse parem habere autoritatem qua Apostoli scripsere & dixere: agnoscit ras  
P men,

men, in *Scriptura Novi Testamenti*, imò in *solis libris Luca & Ioannis ea contineri, qua cuius Christiano, cognitu, speratu, factu sunt necessaria*, quia hoc sibi fuisse propositum, alter in *præfatione*, alser in *conclusione operis profitetur*. Quæ confessio, si aliis possit probari, erit ad concordiam in ea re via non inutilis. Si enim in iis libris contineantur omnia ad hæc necessaria, de toto Scripturæ veteris & novæ Syntagma, multo magis id erit fatendum. Obiter tamen notandum est, non absolutè verum esse quod supposuit tanquam non dubium, quæ *Apostoli dixerunt & scripsere parem autoritatem habere*; nisi hoc intelligatur de iis quæ dixerunt ex Spiritu sancti inspiratione. Potuerunt enim multa dicere aut etiam scribere, humana industria, & historica diligentia, quæ noluerunt ipsi parem autoritatem habere cum Scriptis, quæ Ecclesiis tradiderrunt, tanquam à Sp. sancto dictata. Interea, non negamus, multa esse scitu utilia, multa ad Ecclesia regimen, si non necessaria, conducentia tamen esse, quæ totidem verbis in Scripturis non habentur. Sed cum ab hominibus proponuntur sub veteris traditionis nomine, non sine delectu sunt recipienda, & sine legitimo examine ex Scripturis; saltem ut non dissentiant. Quæ in omnibus Ecclesiis recepta semper fuere, si quæ sint istius generis, citra Conciliorum universalium autoritatem, si quis rejiciat, non probamus. Sed ut sciamus quæ sint illa, & quomodo semper & ubique

ubique recepta fuerint in Ecclesia, & ab omnibus, probabitur; hoc opus, hic labor est. Cautionem igitur merito adhibet D. Annotator, *Recte dicit, patatiorem esse Scriptura autoritatem, quia traditionum probatio, interdum est difficilior & laboriosior.* Valde bene. Itaque patatiorem illam autoritatem semper præferemus, & Bellarmine libenter succinemus dicenti, *De verb. Dei lib. I. cap. 2. Regulam credendi certam esse debere & notam,* quia si nota non sit, regula nobis non erit; si certa non sit, ne regula quidem erit. At sacris scripturis qua Propheticis & Apostolicis literis continentur nihil certius, nihil notius. Quare, cum sacra scriptura regula credendi certissima tutissimaque sit, malumus in tuto esse, quam incertis traditionibus niti, quarum difficilior & laboriosior est probatio. Non enim minus hæc Bellarmini verba militant aduersus traditionum plerarumque fautores, quam aduersus eos quos dicit, *non sanos esse, qui scriptura neglecta, spiritus interni sape fallacis, & semper incerti iudicio se committant.*

Verum est, Protestantes quæ tuentur, ea non omnia αὐτολέξει esse in sacris literis. Sufficit nobis si ex iis deducantur necessario. Si qui sunt qui consequentias admittant *ex privato ingenio*, quarum vis non sit manifesta, ad eas neminem obligari concedimus. Si propterea sint disidia & divortia, id ex hominum vitio est, non ex Scripturæ defectu. Quod etiam multo magis accidit iis qui traditionibus innescuntur: Catho-

228 ANNOT. ET. ANIMAD.  
licas eas admittere consequencias quam admissa vetus Ecclesia, antiquo & universalis consenserit, id dicit non potest de Catholicis Papistis, qui multas consequencias admittunt & urgente de quibus nihil in veteri Ecclesia fuit creditum. Alioquin si non tuò scripturam & traditionem, ambiguità dicitur, quasi utriusque esset eadē lux, quid antea negatum est. Ecclesiam de scripturā testari verum est, & ejus testimonio nos ad credendum adduci, recte dicit Augustinus. Sed Ecclesia non est traditio, nec Ecclesie testimonium separari debet à testimonio Scripturæ, sine quo, ne Ecclesia quidem staret. Præterea, non potest ignorare D. Annotator, Judaicæ Ecclesiæ testimonium de veteribus scripturis, & eorum Canone, primis Christianis alluxisse, nec propterea tamen Christianos à Iudeis exceptare debere scripturarum interpretationes certas & indubitatas, ex eorum traditionibus.

Traditiones Apostolicæ, Scripturæ commendare, si quis negaret, eadem opera negaret Scripturam scilicet commendare, quia Scriptura ipsa est traditio. Sed mirum est doctrinis annotatorem, ut hanc commendationem non scripturarum traditionum probet, inniti locis quos notat ex Deut. IIII. 7. XXII. 7. Psal. XLIV. 1. Esaiæ XXXVIII. 19. Ierem. VI. 16. Nam in locis illis de Apostolicis traditionibus scriptis vel non scriptis, ne vestigium quidem reperitur. In primo ex Deuter. IIII. vs. 7. nihil placere habetur

tur quod ad traditiones aliquas trahi possit, ita-  
que suspicor docum suisse malenotarum. Cap.  
xxxvii. hæc verba habentur, *Memento dierum  
antiquorum, cogita generationes singulas, interrogat  
patrem tuum & annunciatu tibi &c.* Quid au-  
tem haec ad doctrinam non scriptam? Hor-  
tatut Moses ut Iudei in memoriam revocent  
beneficia patribus suis praestita, inde à mundi  
primordiis. Sic ipsi Iesuitæ, alias maximi tra-  
ditionum patrum, *Revoca in memoriam*, ait Cot-  
trel. à Lapide, dies ex quo mundus esse cœpit, & in-  
venies Deum creasse omnes homines, teque & tuos  
parentes, &c. Hæc sine sunt, ad quæ enarranda  
opus fuit traditione non scripta? Possuntne  
etiam ista inter traditiones Apostolicas referri?  
Eadem est ratio Psal. XLII. 1. tibi agnoscit Psal-  
tes, patres annuntiavisse, opus quod in diebus  
eorum operatus erat Deus, & in diebus anti-  
quis, cum disperdidit gentes, & plantavit Is-  
raelitas. Hæc non potuerunt narrare Patres,  
quæ tempore suo gesta fuerant, nisi per scri-  
pturas quæ tum extabant; nec quicquam eo-  
rum ad doctrinam pertinebat. Esaiæ xxxviii.  
v. 49. sic loquitur Propheta, *Vivens vivens ipse  
confitebitur tibi, sicut & ego hodiè.* Pater filius no-  
tam faciet veritatem tuam. Assume, as veritas illa  
non fuit scripta, quam patres debuerunt filiis  
notificare. Sed hoc falsum est; nam parentes  
filiis debuerunt inculcate ipsam legem quæ  
fuit scripta, Hottatut Ierem. Cap. vi. v. 16.

Israëlitas, ut stent super vias, & interrogent de semitiae antiquis, quae sit via bona & ambulent in ea. Sed Ieremias non dicit viam illam non fuisse in lege scripta indicatam, vel patres quos interrogaturi sunt, aliam indicaturos viam præter eam per quam Moses eos deduxerat. Nec propheta hæc dicendo quicquam de traditionibus Apostolicis cogitabat; ut mirum sit quibus fiducilis hæc voluerit annotator, ad traditiones Apostolicas quas nostro tempore commendant, detorquere & trahere. De loco II. Tim. 11. 2. alia ratio est; nec tamen quicquam facit ad nostram quæstionem. Quæ, inquit, audiisti à me, inter multos testes, commenda fidelibus hominibus, qui idonei sint ad alios quoque docendos. Timotheum fuisse discipulum & auditorem Pauli; Paulum eum multa docuisse certum est; eum etiam habuisse alios discipulos, quos ad sacrum ministerium formare debuit; sed quætitur an doctrina illa quam Paulus commendavit Timotheo, nullibi scripta fuerit, vel tunc, vel postea? Quicumque publice docent, vel in Ecclesia vel in Schola, commendant auditoribus suis, ut ipsi meminerint doctrinæ traditæ, eamque in alios transfundant; non sequitur tamen, eos commendare doctrinas alias ab iis quæ scriptæ sunt. Quid quod Tertullianus de hoc ipso loco agens, cum dicit hec, inquit, de iis dicit de quibus in praesenti scriberas. de præscript. cap. xxv. & xxvi. ubi etiam, per

per multos testes, intelligit certum Ecclesia tunc  
præsentis, & inde colligit contra hæreticos nihil  
ratiæ fuisse, quod sub multis testimoniis proferebatur.  
Alii, per multos testes, intelligunt, multorum testimoniis  
Prophetarum, sic Glossa ordinaria, Lyra-  
nus, Anselmus, Thomas, inter Latinos, & Oe-  
cumenius ac Theophylactus inter grecos etiam  
hujus interpretationis meminerunt, γέρων  
καὶ πατέριος οὐκοπέτε μοὲ λόγος. Nam  
sermo meus scriptura testimoniis instrubatur, ait  
Theophil. nomine Pauli, qui certè testatur, se  
Corinthiis tradidisse quæ acceperat, Christum  
mortuum pro peccatis nostris secundum scriptu-  
ras &c. 1. Cor. xv. 1. 2. Quæ igitur tradebat pec-  
prædicationem, scripta erant, aut ex scripturis  
colligebantur. Minus adhuc ad rem facit lo-  
cus Actorum Ap. xvi. 4. Quod Paulus pertran-  
siens per civitates, tradebat eis custodire dogmata de-  
creta ab Apostolis & Senioribus qui erant in Ierusalem.  
Nam hæc dogmata scripta erant in Epistola A-  
postolorum & Seniorum, Actor. xv. Erant  
enim ea quæ in Concilio fuerant decreta, ne  
gentiles conversi ad circumcisionem & alia  
legalia adigerentur; sed abstinerent à suffoca-  
to & sanguine & idolothyris. Quid autem  
hoc, ad non scriptas traditiones? Sic explicat  
hunc locum Oecumenius. Sic Theophylactus.  
Δέγματά λέγει, ότι της συστάξεως οικείωμας μυστή-  
ρια αἰδοί τὸ ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων, καὶ αἴματος,  
καὶ πυκτῆς, καὶ πορείας, ἀπερ εἰς κανονικῆς ζωῆς

opere Argumento: Dogmatis dictis; novissima mysteria que spectant incarnationis deconomiam; sed illa, nonne per abstinentiam esse ab iis quae simulachra efficiuntur molares &c. que spectant id regumatio iuste xonstitutionem. Haec initiales à nos explicantur; & quae nihil tale concludunt quod collaudatur Traditionis; mirum est & vero doctriam conseruare confidenter propositi; quasi existore et non possent demonstrationes; pro auctoritate Traditionum, quae nostro tempore Scripturis reprobantur.

*Traditionem interpretari Scripturam* si id intellegitur de interpretatione authentica; & id quae recedere nemo possit; unde id probabitur. Et ubi est illa traditio quae notis omnium locorum scripturarum interpretationem profert? Hæreticorum hoc fuit effatum apud Itenazum lib.

3. cap. 2. non posse ex Scripturis inveniri veritatem ab iis qui nesciant traditionem. Si per traditionem quis intelligat Patrum interpretationes; non negamus; quin aliquando huiusmodi possint; praesertim cum potest habeti communis eorum consensus; sed id vix repetur in patribus. Traditione quæ Scripturam interpretatur; est ipsa scriptura; nec opus fuit aliunde accepta interpretatione ad verba Iacobi Deum minorem tenet. Conciliatio enim cum locis in quibus communium videtur dici; et aliis Scripturarum locis facitis est. Sic Conciliatio Pauli; cum Iacobo; & alia similia. Ita tamen ut veretur interpretum non dubitemus sententiam explicari; & ex eius

rum

sum scriptis in difficultatibus juxari. Velim autem D. Annotatorem nobis indicare, in qua veteris Ecclesiae Christianae traditione reperire, citationem loci ex cap. Esai. viii. 14. *Hic virgo conceperit, non adhiberi in recto argumento proprio; sed ad illustrandam rem creditam.* Sensum Iuc. primi iustici sa offertem, esse, quod puerilla que cum virgo erat, nubet, conciperet, pareret, ex infante autem fucru ipius Esiae filius, natus ex ea quæ virgo adhuc ad nativitatem tempore. Si is est sensus simplex in prima obrim verborum Esiae, quicquid postea dicatur de mysterio, de ea quæ virgo poperit, quæ per illam mulierculam, quæ ex matribus congressu poperit, fuerit significata, id rotum entia certum, immo & auctoritatem. Quid enim communè mulieri post concubitum cum viro, patienti; cum virginè quæ virgo conceperit & peperit? Poco igitur, à qua traditione Apostolica, hanc Esiae verborum interpretationem hauriet. De traditione Judaica satis constat, & de Fausti Socini ad illum Matthæi locum commentatione, quam si hic sequutum fuisset. D. Annotatorem dixero, verum me dirisse judicabunt omnes, qui Socini lectiones sequuntur, quas vocat, persecutent, à pag. 37. Quæro iteum, à quo veterum Patrum traditione hauriet. Interpretationem verborum Domini, Ioan. viii. 58. περὶ ἀστέγων οὐκέτις. Antequam Abraham esset, εγώ εἰμι. Ego sum, neque, divina confirmatione. Aliam certè interpretationem habent,

bent, Tertullianus, sive Novatianus lib. de Trinit. Augustin. In Ioan. Tract. 43. Beda, Theophyl. Euthymius, qui omnes illud referunt ad Christi divinitatem, per quam & ante Abrahamum, & ante secula ab æterno filius Dei erat; quod etiam Judæi ex ejus verbis intellexerunt, & blasphemiam ei objecerunt. Aliæ sunt multæ D. Annotatoris interpretationes, qui hac sua propositione *de Traditione non scripta, scripturam interpretante*, sibi necessitatem imposuit omnes suas interpretationes ex illa traditione probandi, vel agnoscendi ex privatibus suis consequentiis deductas fuisse, in quibus comperietur sèpè malarum consequentiarum repertor, ut verba sua ei reponamus.

---

### De Perspicuitate Scriptura.

**R**EPE TENDA hic distinctio suprà posita. In iis quæ unicuique necessaria sunt creditu, speratu, factu valde est perspicua. In cæteris quanta opus sit cognitione linguarum, collatione versionum, quanto labore, experti sunt veteres, & nunc experiuntur qui in eo desudant.

### ANIMADVERSIO.

**A**Ccipimus quod dat D. Annotator, In iis quæ unicuique necessaria sunt creditu, speratu, factu, Scripturam esse valde perspicuam. In cæteris agnoscimus etiam, opus esse cognitione linguarum,

guarum, collatione versionum &c. ut multorum sacræ scripturæ locorum cruatur verus & genuinus sensus. Quod tamen necessarium non esse, si aliqua communis extaret traditio, quæ nobis quæcumque in Scripturis difficultia sunt, enodoret. Censemus autem cum Aug. de util. credendi ad Honoratum, cap. vi. Scripturam planè ita modificatam esse, ut NEMO inde baurire NON POSSIT, quod sibi satius est, si modo ad bauriendum devotè & piè, ut vera religio poscit, accedat. Vide quæ de tota hac quæstione scripsimus Cathol. Tract. i. q. vi.

*An omnibus permittenda lectio.*

**I**VPÆI omnes vetus Testamentum legunt, exceptis capitibus quibusdam obscurioribus, quæ ad matuorem ætatem reseruantur. Chrysostomus saepè Christianos quosvis ad legendam scripturam hortatur, ut ad II. Tim. II. ad Titum II. Item ad Colossenses Hymilia 9. tertia de Lazaro, decima in Ioannem, secunda & decima tertia in Matthæum, ubi etiam ostendit ita moris fuisse suo tempore: & ipse dicitur procuraſſe scripturæ versionem in linguam Armeniam. Prosper de scriptura ait:

*Qua nullus animis, nullus non convenit annis.*

Morem veterem agnoscit Azorius Institutionum Moralium VIII. 26. utilitatem vero Espensæus in cap. 2. ad Titum. Legant itaque, sed probabiliter versas, & huius quantum necesse ac tutum est, minimè vero de locis omnibus jus sibi sumant interpretandi, sed consulant eruditos. Absit curiositas; absit arrogantia: absit humilitas adjuta precibus, & piax vitæ proposito.

AN-

## ANIMA P VIE R S I O .

**N**on haec nostra nihil est quod non admittamus & paucis & commode comprehensa sunt quæ ad eam questionem facient de Scripturam. Lectione omnibus Christianis non solum concedenda, sed etiam commendanda. De Contraria Tyrannide, diximus Haec leges ad Scripturam Cap. XIII.

*Fides an sit in irrogenitis.*

**S**i fide purgatur corda, est aliqua fides in iis qui nondum purgati sunt: assensus scilicet intellectus, quælis est etiam in iis qui vident meliora & probant, sed sequuntur deteriora: deinde & desiderium quoddam debile meliora agendi, quale Paulus describit ad Rom. VII. id quod erat aliorum in se μελιτην, ut solet. vide 1. Cor. IV. 6. Fides autem illa, quæ planè hominem ita Deo acceptum facit, ut ei quæ talis & dum talis est, jus det ad vitam æternam, (quod sine peccatorum remissione fieri non potest) est quæ non intellectum tantum perfundit, sed & vim suam in voluntatem exercit eo usque ut non qualecunque desiderium, sed firmum & constans propositum obediendi efficiat, quod sine dilectione Dei & proximi fieri nequit.

ANN.

## ANALYSES.

**D**icisse in non regenitis esse aliquam fidem dogmaticam aut historicam, quae etiam in Diabolis esse potest, qui credunt Deum esse, & Christum in mundum venisse, extra dubium est. In iisdem etiam esse posse eam fidem quae est *Caro Christi purificans*, ut eam describit Cyrillus Hieros. Cath. v. quam alii fidem *miraculorum* appellant. Sed fidem *justificantem*, aut ut eam appellat Augustin. *salvificam*, in ullo non regenito per Spiritus sancti gratiam reperiri, negamus. Objicit D. Annotator, *Si fide purgantur corda, est aliqua fides in iis qui nondum purgi sunt.* Verum est, in iis qui nondum sunt perfectè purgati esse non solum aliquam fidem, sed veram & salvificam, quamvis non in summo gradu. Sed si velit in homine irregenito esse ante omnem purgationem, id ferri non potest, nec id volunt verba Apostoli. Purificatio enim cordis simul fit cum donatione fidei, & per gradus postea promouetur. Verba Petri indicant eum non agere de irregenitis, Actor. xv. vers. viii. *Deus, inquit, qui novit corda, dedit eis testimonium, dato eis Sp. sancto, sicut & nobis, nihilque discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.* Agit de iis quorum corda Deus novit, id est probat, & quibus datus est Sp. sanctus. *Affensus ille inslectus, qualis est in iis qui*

qui vident meliora & probant, sed sequuntur deteriora, tantum abest ut purificet corda, quin potius ea magis inquinat. An potuit esse cor purificatum illius cuius hic verba usurpantur? Paulus autem ad Röm. viii. non quod erat aliorum in se μεταρχηματων, sed de se & omnibus regenitis loquens, in quibus adhuc pugnat caro contra Spiritum, non loquitur de desiderio quodam debiti meliora agendi, sed de firme benè agendi desiderio, ratione spiritus, id est partis regenitæ, quæ tamen adhuc luctatur cum corruptione reliquarum carnis. Recte enim Augustinus, *Sub iustis passionibus tanquam sub viro dominante agebat anima ante quam veniret gratia per fidem*. His ergo passionibus moritur, qui jam servit mente legi Dei, quamvis ipsæ passiones nondum mortua sint, quamdiu carne servit legi peccati. Restat adhuc ergo aliquid ei qui est sub gratia, quod eum non vincas & captivum ducat, donec mortificetur totum, quod consuetudine prava roboratum est. Hæc non est descriptio viri genitus irregemiti. Scio fuisse olim, & etiamnum esse de vero hujus loci sensu sententias discrepantes. Nonnullos ex veteribus ante exortam hæresim Pelagianam, fuisse in ea sententia, quam hic sequitur D. Annotator, Apostolum loqui de homine sub legis servitute constituto, non sub gratia. Hanc sententiam arripuerunt Pelagius & Julianus, & pro ea totis viribus contenderunt, quorundam etiam veterum dictis eam confirmantes. Augustinus

gustinus etiam junior in eam propenderat. Sed re melius expensa totus in contrariam & ve- riorem sententiam transiit, & Lib. vi. Contra Julianum, Cap. xi. hoc modo Paulum intel- lexisse ostendit Hilarium, Gregorium Nazian- zenum, & Ambrosium. Hieronymus, qui pro- nior fuerat in primam, melius informatus in Epistol. *ad Eustochium de custodia virginis*. conten- dit Paulum hæc de se scribere, quando jam corpus suum castigaverat & in servitutem re- degerat. Idem afferit adversus Pelagianos dis- putans Lib. 2. Dialogi. Sed apertissimè Me- thodius Martyr apud Epiphanium Hæres. lxiv quæ est *Origenianorum*, ex hoc ipso loco pro- bat, quod post suscepit fidem, sanctissima illa aquæ lotione perfusi, peccatis sæpe obstringi- mur, & quomodo ipse loquitur, πολλάκις οὐ αμαρτίαις τύπες δέσμωμενα. Post Augustin. Prosper lib. Contra Collat. cap. 8. Greg. Rom. Moral. lib. x i x. Cap. v. & x x i x. Cap. xv. & alii plures inter quos Thomas Aquinas, can- dem sententiam sequuti sunt. Hic autem ve- lim animadvertere Lectorem, si, quod voluit D. Annotator, traditio quædam extitisset Apo- stolica, quæ scripturam interpretaretur sine ul- la provocatione, an ad hoc usque tempus, in- ter tot & tam doctos viros, mansisset contro- versus hujus loci sensus? Quæ subduntur de fide qua bominem ita Deo acceptum facit, ut ei qua talis, & dum talis est, jus det ad vitam aeternam, in iis

iis nihil est quod rejiciamus , nisi forte aliquid lateat in his verbis , *dum talis est* ; quasi qui fide illa præditus est , ab ea deficeret planè , & finaliter : de quo dogmate videat si lubet Lector eruditissimas exercitationes Roberti Abbot Sarisburiensis Episcopi , *de Gratia & perseverantia Sanctorum* , editas Anno c<sup>l</sup>o l<sup>o</sup> c<sup>xviii.</sup>

---

### *De Operibus supererogatoriis.*

**S**VNT quædam quæ specialiter non exiguntur , & laudabilia tamen sunt , Deoque grata , vt castus cœlibatus sine nuptiis , vel post primas , abstinere se ab omni bello , mori potius quam se tueri , vitare , quantum leges sinunt , munera publica , item lites , sua clargiri pauperibus , & manibus victum quærere : Ecclesiæ seruire suo sumptu . Hæc sunt extra præcepta specialia , ita tamen vt generali isti hortamento amandi Deum & proximum optimè convenient , & ei , quatenus præceptum dicitur , gradum quendam adjiciant excellentiorem , quem Deus pro sua bonitate repensabit . Vide quæ diximus ad Lucæ xvii. 10.

### ANIMADVERSIO.

**V**Ox *supererogationis* desumpta ex vulgati interpretationis versione ad cap. Luc. x. 35. ubi textus græcus habet *τεραπονίας* , *præterea insumpseris* . Vulgata , *quodcumque supererogaveris* . Yellem mihi dari hominem , qui præter ea quæ à Deo

**F**Deo accepit, aliquid insumpserit, unde Deum sibi debitorem fecerit insumptorum; non acceptorum. Talia deberent esse *supererogatoria* opera, si fundamentum aliquod haberent in parabola Samaritani. Nec puto D. Annotatorem hæc arrogantissima opera cuiquam vèrè Christiano tribuere velle. Sequeretur enim, Paulum cum querit, *Quid habes quod non acceperis?* 1 Cor. 4. v. 7. hoc responsum auferre posse à supererogatore, *Habeo opera mea supererogationis, ad honorem Dei facta ex propriis meis bonis, supra ea quæ accepi à Deo.* At quis prior dedit ei? Rom. 11. v. 35. Cautius agit D. Annator, tam hic, quam ad cap. Lucæ xvii. 10. Ait esse quadam quæ specialiter non exiguntur & laudabilia tamen sunt, *Deoque grata, ut castus coelitus sine nuptiis, &c.* Hac esse extra præcepta specialia. Nolo vitilitigare, alioqui melius hæc dicentur esse extra præcepta generalia, vel communia, & specialia esse præcepta, non omnibus, sed quibusdam tantum injuncta. Sed puto sensum illius eum esse, præter ea quæ omnibus injunguntur pro communi hominum vocatione, esse alia nonnulla, quæ quibusdam competunt; Sed dicendum est id eis competere pro ratione doni & vocationis divina, quæ duo una debent concurrere. Tum certè donum illud & vocationis Dei aliquid adjiciunt supra communem vocationem, quod excellentius dici potest; sed tamen quemadmodum donum & vocationis sunt

Q.

debita;

debita , sic etiam debetur obedientia *præceptis* illis singularibus, non solum ex generali hortamento Deum & proximum amandi, sed etiam ex speciali obligatione , quam sensus & cognitio vocationis Dei & adjuncti doni nobis *præscribit*. Omnia quæcumque homines possunt ex gratia Dei, Deo debentur ; juxta hortationem Pauli , *De cetero fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque amabilia, quæcumque bona fama, si qua virtus & si qua laus est, hac cogitate.* Si qui supererogatoria sua opera extollunt , aliquid faciant supra hæc quæ his verbis comprehenduntur , non erunt justa, nec bonæ famæ , nec inter virtutes repona nenda. Vide quæ diximus , Cathol. Orthod. Tract. 3. quæst. xi.

### *De Hæreticorum pœnis.*

V I D E quæ diximus ad Matth. XIII. 29.

### A N I M A D V E R S I O .

**V**Idimus quæ ad hunc Matth. locum annotata fuerunt , ubi agnoscimus multa haberi pie & Christiane dicta. Sum sane in ea sententia, in tali negotio , ubi de pœnis agitur , ad mitiorem partem magis esse inclinandum , & cavendum à zelo præpostero. Sed tamen vindendum est etiam, ne dum uni parcitur, pereat unitas , & unius aut alterius impunitas , communi-

munitati præjudicet; quod si possit caveri sine sanguinis effusione, potius eligendum esse censorum. Hæc sunt notatu digna, quæ ibi observat D. Annotator, *inter prava docentes, aut extra regulam viventes, esse alios aliis sanabiliores, quorum pœnitentiam Deus patienter offerit.* Etiam pravos doctores materiam probis præbere, ut suam constantiam & lenitatem exerceant; *Christi tamen dicto magistratibus publica judicia non adimi, qua malos formidine pœna coerceant, neque Ecclesia jus segregandi à suis cœtibus eos qui doctrinam adulterant, aut vita turpitudine maculant nomen Christianum.* In his ergo convenit utrinque, nec improbamus etiam quæ dicuntur de clementia, in publicis judiciis adhibenda, vel cum apparet ingenium esse sanabile; vel cum propter peccantium multitudinem nequit exerceti pœna, nisi ut sotibus innocentes involvat. Lanienas autem, inquisitiones, & similis crudelitatis officinas, bonis omnibus detestandas esse affirmamus. *Adversus dissidiorum & scandalorum autores præter doctrinam quam didicimus, fidelibus sumus tantum autores, ut declinent ab eis, quod Paulus suadet, Rom. 16. v. 7.* Ecclesia tamen in eos qui *homines minime malos seducunt, disciplinæ nervos intendere debet, ut vitari possint, qui admonitionibus non cedunt.* Eorum, si pergent, audaciam reprimere etiam debet Christianus Magistratus, ita tamen ut se contineat quantum poterit, intra limites moderationis,

tionis, nec ad extrema remedia procedat, nisi aliis omnibus tentatis, quibus possint errantes ad meliorem mentem reduci. Quietos & sibi viventes, non inquirat curiosius. Seductorum misereatur; Seductores coercent, ut abstineant a malis artibus, & alienis conscientiis turbandis. In summa, existimamus si qua in re, in hac præsertim extrema esse vitanda, sive negligentiæ & segnitiei, sive crudelitatis & sævitiae, & exacti nimis rigoris. Religionem cogi nec debere nec posse; fidem non infundi sanguinem effundendo, doctrina, exemplo, addo & patientia & lenitate Christiana, plus promoveri regnum Dei, quam vi ablata: præsertim cum hoc sit hominum ingenium, ut nitantur adversus vetita, & negata cupiant. Nunquam erimus autores, quod in Arrianis culpat nostras Hilarius, ut saeviat in contradicentes Ecclesia, & quæ effuso Christi sanguine acquisita est, sanguinem fundat. Non tamen existimamus propterea laxandas esse quibusque novatoribus & turbonibus habenas, ut ne hiscere audeat Magistratus, si qui sint qui petulanter & seditione se gerant, nisi persecutor audire velit, aut qui ad religionem homines cogat. Distinguat seductorum & turbonum gradus, & adhibeat ubi opus erit pœnas, in quibus necessitati serviat, non vindictæ indulgeat. Capitales pœnas non admittimus adversus seductos & errantes ex infirmitate; Seductores qui errores fundamentales

mentales spargunt, eosque pertinaciter defendunt, à magistratu coërcendos & puniendos censemus, non tamen, si nihil aliud subsit, supremo suppicio afficiendos. Solos seditiosos, blasphemos & rebelles adversus Magistratum, ac perjurii reos, morte affici juste posse, & aliquando debere, asserimus. Hanc distinctionem etiam placuisse video Lutheranis, qui alias capitalia suppicia adversus simplices hæreticos non probant. Meisnerus in Philosophia Sobria, part. i. ubi agit de officio Magistratus, quæst. iv. postquam præmisit, *arduam esse hanc questionem & undique dubiam*, & hæreticos distinxit, in *hereticum, heretico credentem, seductorem & seductum*, atque extremæ tyrannidis incusavit eos qui indiscrete in omnes læviunt, hæc addidit. *Distinguendum est, inter hereticam simplicem, & hereticum simul seditionis, vel aperte blasphemum.* Ille falsam doctrinam simpliciter defendit, hic autem præter falsitatis adstrunctionem, insuper turbas movet, seditionem excitat, subditos erga seipso, & erga magistratum irritat, vel indubitate, & eoc *Martyrum sanguine confirmata, fidei Christiana dogmata aperte & directe, non oblique & per consequentiam duntaxat, sed aperte, dico, blasphemat.* Hunc capitali suppicio, non ob heresim, sed vel ob motam seditionem, vel ob manifestam blasphemiam, (qualis fuit *S E R V E T I*, Trinitatem cerberum tricipitem appellantis) capitali suppicio dignum esse, nemmo ex nostris facile impugnabit. Hæc describere

volui, ab homine alioqui Calvinus infensissimo accepta, quia video hanc quæstionem à D. Annotatore præsertim fuisse agitatam, ut sub ejus prætextu, bilem suam (vir alioqui moderatissimus habitus) in Calvinum exoneraret, ob supplicium Genevæ sumptum de blasphemico Serveto, quem Calvinus detexit, & apud Magistratum reum multarum blasphemiarum peregit, propter quas igni fuit adjudicatus, Calvino tamen, qui non intercedebat quominus supplicio afficeretur, pœna acerbitatem remitti cupiente, quod Farello scribebat xx. Aug. c 1o l 1 i 1. Is fuit de quo Bucerius, quamvis alioquis mansueto esset ingenio, pro suggestu pronunciatum, dignum esse, qui avulsis visceribus discerperetur, ut habetur in Epist. Calvini ad Sultzerum. De eodem Bulingerus, Obtulit quidem, inquit, Dominus materiam per occasionem accommodatissimam Amplissimo Senatus Genevensi, se & Ecclesiam purgandi à labo seu fœditate hæreseos, dum Servetum illum Hispanum in manus ejus dedit. Novit hunc bona pars orbis Christiani, vel ex blasphemis libris editis de erroribus Trinitatis, & iis quæ edidit mere Iudaica de justificatione operum. Is fuit de quo Pastores Ecclesiæ Basiliensis scripsierunt, quod non simplicem, sed ex multis impietatibus conflatam hæretorum larvam profiteretur, puta Arii, Marcionis, Sabellii, Photini, Manichæi, Pelagii & ceterorum, &c. Atque hoc quidem tanta confidentia, præsumptione & pertinacia, ut appareat illud Sapientis in eo verum:

Impius,

*Impius, cum in profundum venerit, contemnit. Is fuit de quo Melanchthon monuit Senatum Venetum, quod renovavit errorem Samosateni initio Ecclesie damnatum, & labefecit sententiam de duabus Naturis in Christo: negavit in Ioanne verbum significare hypostasim sive personam, admonetque & obtestatur Venetos, ut fugiant, abjiciant, execrentur impium Serveti errorem. Idem Melanchthon, qui fuit, etiam judice Annotatore, vir pacificus & ingenii mitissimi, tamen post supplicium de impiis illo sumptum, sic ad Calvinum scripsit Epist. 187. Tibi Ecclesia & nunc, & ad posteros gratitudinem debet, & debebit. Tuo iudicio prorsus assentior. Affirmo etiam vestros magistratus juste fecisse, quod hominem blasphemum, re ordine judicata, interfecerunt. Eadem scripsit ad Blingerum in Epist. quæ inter Calvini Epist. est 214. Legi qua de Serveti blasphemis respondisti, & pietatem ac judicia vestra probo. Iudico etiam Senatum Genevensem recte fecisse, quod hominem pertinacem, & non omissum blasphemias, sustulerit. Quid ergo diceret nunc Sancta illa anima, si audiret virum magni nominis, & qui se orthodoxum profitetur, ac Melanchthonis nominis studiosum, impotenter in Calvinum eo nomine debacchari, exustorem, appellare, & Serveti blasphemias his verbis elevare? At de Trinitate non bene sensit Servetus. Fieri potest (quasi factum non esset!) facilis enim lapsus in rebus adeo supra humanum caput positis. Nec his contentus, quorundam*

Q 4

Sorbo-

Sorbonicorum in Calvinum calumnias ei objicit, quarum ipsos Iesuitas puduit, qui *Autobea-nam hæresim ei à Genebrardo & aliis quibus-dam affictam*, non hæresim esse sed Orthodo-xam doctrinam probarunt; Bellarminus, nem-pe, & Gregorius de Valentia. Agnoscat vir alias re & nomine magnus, se dum Calvinum infamare hoc nomine conatur, sibi ipsi notam inuulisse, non facile obliterandam.

---

*De discrimine peccatorum que dicuntur mortalia  
& venialia.*

**V**IDZ quæ dicta à nobis ad epistolam Iacobi, & Melanchthonem in locis Communibus.

A N I M A D V E R S I O .

**P**ONTIFICII distinguunt inter peccata venialia & mortalia, ita ut venialia sint quædam *natura sua*, alia sua natura mortalia: venialia item distinguunt in ea quæ *genere suo* talia sunt, qualia putant mendacia officiosa & jocosa; & alia ex *imperfectione actus*, cum non sunt ex ple-no consensu. Alia denique ex *parvitate materie*, ut in furto unius oboli. De quibus egimus Cathol. Orthod. Tract. iv. Quæst. 13. De hac distinctione Pontificia non hic agit annotator, sed de alia ab iis ex cogitata, qui volunt eos qui fide justificante & gratia donati sunt, per ali-quod

quod peccatum ita à gratia Dei excidere , & Spiritum sanctum excutere , ut nullum jus habeant ad veniam , sic enim loquitur ad Iac. locum , ad quem remittit. Dicit ergo , non omnia peccata , statim illum gratia apud Deum admere , sed illa tantum , de quibus Paulus loquitur , i Cor. vi. v. 9. & 10. *Ne errate , neque scortatores , neque Idololatras , &c.* Non vult autem , nec Melanchthon in locis communibus , hæc peccata non esse venialia ex eventu , ut loquuntur , dicit enim quamvis admant jus veniae , cum tamen qui peccavit , posse restitui in priorem conditionem , per paenitentiam luctuosam. Nec vult Melanchthon , & qui eum sequuntur sunt , peccata quæ venialia appellant , non esse per se digna morte , eaque æterna , sed quod sint venialia , ratione status personæ , quia in fidelibus qui sunt in gratia , possunt subsistere cum habitatione Spir. sancti quem non excutiant , nec hominem privent gratia Dei , nec condement , Peccatum , inquit , veniale tale est & dicitur , non quoad exilicatem suam veniam dignum sit , sed 1. propter intercessionem Christi , 2. misericordiam patris , 3. petitionem remissionis & paenitentiam extemporalis . Sic Meisterus Anthropol. Sacrae Decade 1. Disp. ix. quæst. 3. At omnia peccata possunt dici venialia ; sub his conditionibus , magis enim & minus non mutant speciem. Agnoscimus peccata alia aliis esse graviora , hæc autem maximè tristitia afflere Spiritum sanctum , per quæ

Q.S

obſi-

*obsignati sumus in diem redēptionis.* Eph. 4. v. 30. Sed quamvis contristetur quando in hæc peccata incident qui gratiæ salutaris participes facti fuerunt, non tamen penitus deserit habitationem suam, in iis quos obsignavit; nec si mereantur omnimodam alienationem propter peccata sua, Deus tamen misericordiæ suæ immemor est, per quam in iis adhuc servat & fovet igniculos, postea per seriam pœnitentiam excitandos, quod in Davide, Petro, & aliis apparuit. Recte Anglicanæ Ecclesiæ ad Syn. Dorracenam delegati, ad hanc Remonstrantium Thesim, *Quoties grave carnis peccatum committitur, toties statum justificationis & adoptionis amitti: respondent, Non posse hominem ullo pacto actus divinos rescindere, quales sunt justificatio & adoptio ex beneplacito Dei emanantes.* Non quæritur quid mereatur peccator; sed quæ sit Dei constantia erga eos quos justos pronunciavit & adoptavit in jus filiorum. Si subjectum spectemus in se, plane excidere potest, & saepè id meretur; sed si Deum spectemus, Dona & vocatio Dei sunt αὐτοῦ μέλη τα. Rom. 11. v. 29. Recte iidem docent, in interstitio quod est post contractum ex gravi peccato reatum, & fidei ac pœnitentiae actum renovatum, stare talem peccatorem suo merito damnandum: sed Christi merito, & firme Dei proposito absolendum, non tamen prius quam per excitatam fidem ac pœnitentiam veniam impetraverit actu

actu absolutus. Vide quæ ibidem habent ad confirmationem dicti sui, & reliqua quæ hanc controversiam spectant. De qua qui plura vollet consulere poterit Reverendi Satisbur. Episc. Abboti animadversiones in Diatribam *Richardi Thomsoni* Anglo-Belgæ, de amissione & intercisione justificationis & gratiæ. Item Vendelini Tractationem de perseverantia Sanctorum, contra Bertii Apostatæ *Sanctorum Apostasiam*, cap. xxvii. & seqq. & Gomari defensionem doctrinæ de perseverantia Sanctorum: ne hic actum agamus. De quo viro quoniam hic mentio incidit, hic visum est non inutile adjicere priusquam finiam, judicium Hugonis Grotii de collatione quam habuit Hagæ Comitis cum Iacobo Arminio, anno c<sup>lo</sup> l<sup>o</sup> c<sup>xv.</sup> in qua etiam agitur de Sanctorum perseverantia. Sic igitur ille, in Epistola quam eodem tempore scripsit ad N. R.

*Colloquium Professorum quem finem habuerit, an ante abitum intellecteris, equidem nescio. Injunctionum est utrique τὸν καθ' ἐκκλησίαν quæ in conventu acta sunt, silentium. Publicè hoc uterque profesi sunt. Amicius actum quam ipsi speraverant. De controversiis decretum iri in Synodo Nationali, aut, si ea non maturetur, provinciali, quam cū paucos menses expectamus. Interim vetitum est quicquam dicere, sacris literis, confessioni, & Catechesi contrarium. In conventu ordinum Hollandia, post relationem factam à Senatu, cum D. Oldenbalverdius, brevi, quam ad*

Pro-

Professores habebat oratione, inter alia gratias se habere Deo diceret, quod de Christiana religionis capitibus nulla esset disputatio; Respondit Gomarus, postulata dicendi venia, ejusmodi esse collega sui opiniones in articulis inter ipsos controversis, ut ipse, ita sentiens, nolit coram Deo judice consistere: qua vox, alii vehementior, alius plena libera conscientie visa est, eo magis, quia per aliquot dies, & eo maximè tempore, vultu ac sermone moderato, usus erat. At Arminius dicebat, non ita graves esse controversias, sed maximè circa predestinationem ambigi, quod ideo in conventu dixisse videbatur aut credebatur, quia in isto argumento, popularis ac plausibilis est novitas. Caserum Gomarus, qui sè professus est magno se meis alloquendi desiderio teneri, occasionem arripuit his diebus feriaris, statimque injectit sermonem ὁποῖας, quo tempore cum multa acriter in Armenia diceret, impiasque & profanas vocaret ipsius opiniones, tamen de predestinatione vix quicquam locutus est. Sed primum in illam maximè sententiam invectus est, qua justificationis objectum aut materiam statuit fidem, justitiam autem Christi causam meritoriam justificationis ejus quæ est ex fide. Quum recepta sit sententia, fidem habere in negotio justificationis rationem solum manus sive instrumenti. Plerique ex Senatu judicaverant hoc non multo plus esse quam λογικά, cum illud inter utrumque constaret, non dignitatem operis, sed Dei gratiam efficeret, ut justificemur fide: Ille contra, rem magnam agi putabat; Itaque apud me diu barebat in explicatione

tione ἐλογίζεσθ, qua voce usus est Apostolus, & Arminius profacere arbitrabatur. Deinde, veniebat Gomarus ad articulum perseverantia Sanctorum, non satis esse dicens, si fatemur regeneratos nunquam ita gratia excidere, quin eam in fine recuperent, nisi & hoc credamus, nunquam, eam gratiam, ejusque effectum fidem, omnino amitti, sed minui dumtaxat. Qua in re memini, me tibi monstrare Melanchthonem fuisse in contraria sententia. Gomarus autem urgebat pro sua ac recepta sententia Ecclesiarum, verba nostra Catecheseos, circa articulum de Sp. sancto. Venimus postea ad perfectionem sanctorum, circa quam Arminii nescio opinione, an dubitatio dicam, οὐκ οὐχίτως, & ante & nunc, ex quo cum Vtembogardo post Gomari colloquium contuli, visa est mihi repugnare cum definitione Catechismi, qua ad questionem, an in hac vita possent sancti legem implere? respondetur negativè. Neque mibi verum videtur quod Arminius ait, interrogationem esse de potentia, de actu autem responderi: cum responsio negativa, neget hoc ipsum quod queritur: et si fateor rationem, atque autoritatem subjectam, magis actum respicere; Sed neque illud video, quæ sit illa potentia, quæ ad actum numquam perducitur? Sicut autem Gomarum alacriorem solito, ita Vtembogardum tristiorum repesi solito, ac dicentem inter caseros sermones, et si Synodus procedat, quod omnino futurum credebat, (de provinciali loquor) tamen cum tantis prejudiciis res agatur, & singulares doctorum opiniones, in mentes discipulorum sensim irrepentes, atque auctu temporis, & altius inqui-

inquirendi negligentia ac specie . tacito Ecclesiarum consensu recepta , liberam magnorum ingeniorum sedulitatem autoritate sua jugulent , neque minus in Ecclesia , quam in aliis confessibus vincat major pars meliorem , non alium se eventum rerum Arminii sperare , quam Castellionis fuerit , qui pressus impotentia adversariorum eo redactus sit , ut vir non indoctus & perpetua fama lignando sibi victimum quereret . Hæc tunc temporis Grotius , quæ mihi visa sunt non indigna quæ publico communicarentur ; nec ægrè laturum puto , si judicium ejus de Controversiis Belgicis , quo tempore maximè flagabant , cum ejus nuperis scriptis comparetur .

Unum addo circa distinctionem peccati mortalis & venialis hoc novo sensu , de quo dictum est , ita ambiguam esse , ut qui ea utuntur , non diffiteantur commodiores posse substitui terminos , ne quis existimet , vel mortalia peccata mortem quidem mereri , sed non adferre , vel venialia per naturam suam adeo esse levia , & exigua , ut aeterna damnatione sint indigna . Quam ob causam pro mortali , quidam dicunt , mortiferum , & pro veniali , peccatum infirmitatis . Fatente Meisnero libr. antea citato . Alii nihil aliud volunt intelligi præter peccatum regnans , & non regnans , ex distinctione Pauli , Rom. vi. 12. De re ipsa facile constaret , & de peccati gravioris effectu per se ; si modo non alio trahetur . Sed de his satis .

Hugo-

H U G O N I S G R O T I I  
de Moderatoribus  
E P I G R A M M A.

**Q** VI gaudeas Batavis quod aheneus adstat Erasmus,  
Pramia sed meritis ista minora putas:  
Qui quod Cassandri veracia scripta teruntur  
Corde suo grates hac bona propter agis:  
Quem pradulce juvat stillante Melanchthonne nectar:  
Qui VVicelii chartas Modre viisque legis:  
Qui pia vota probas Spalatinis infita libris,  
Deque decem velles non periisse duos:  
Quique putas regem multum sapuisse Brittannum,  
Cum sua mandavit sensa Casaubonide:  
Accipe, sed placidus, quae si non optima, certe  
Expressis nobis non mala pacis amor:  
Et tibi dic: nostro labor hic si displiceret avo,  
Agrata premium posteritate feret.

## EXEGESIS EPIGRAMMATIS.

**H**IS paucis versibus, Annotator opusculo suo voluit finem imponere, & Lectori suo indicare per quos profecerit, & quos sibi in hoc molimine imitandos proposuerit. Sunt autem illi in multis dissimiles, quamvis in non nullis convenerint. Primus locus datur Erasmo, qui stat aheneus Roterodami, ubi natum ferunt: de cuius ortu & primis studiis non opus est pluribus agere. Vir fuit suo merito magni nominis, variae eruditionis, & elegantis ingenii.

Cum

Cum in Ecclesia Romana fuerit educatus, & in ea obierit, non mirum est si plusculum indulxit matri quæ eum aluerat: sed mirum est, quod vix alioqui perspicax, & liberioris oris, non potuerit se penitus exticcare, & serio magis rem agere. Neutri parti satisfecisse omnibus notum est. Apud Pontificios vapulat multis modis. Ejus scripta indices librorum prohibitorum & expurgatorios sunt passa. Accusatatur quod latam aperuerit ~~fene~~stram Ariani, de quo videri potest Possevinus in Apparatu. Ut tamen Pontificiis gratificaretur in Lutherum stilum strinxit, & sæpè impotenter inventus est, non in eum solum, sed in alios plerosque, qui libenter non cerebant eum sic επεμφοτεξειν. Frustra inter partes voluit arbiter sedere, cum in unam multo magis inclinaret, quam in alteram. Ejus irriti fuerunt conatus, nec aliud expectandum ejus imitatoribus.

De *Georgio Cassandro*, qui etiam Belga fuit ex insula *Cassand*, ut ferunt, oriundus; constat quod etiamsi se moderatorem inter dissidentes exhibere voluerit, à Pontificiis tamen scripta ejus annumerata sint inter primi generis prohibita. Cum in componendis Religionis disputationibus (ait Valerius Andreas in Bibl. Belgica,) se ponit sequestrum & arbitrum, à recta fidei semita nimium quantum exorbitasse visus est. Docebat enim nullam heresim sic errare, ut à salute abducat quamdiu in Christum creditur, vel Apostolicum Symbolum teneatur.

itur. Licitum præterea homini Christiano in articulis fidei Orthodoxæ dubitare; quod impium est & temerarium. Quare scripta ejus pleraque Theologica, à Patribus Concilii Tridentini, aut damnata aut censura notata sunt. In indice Romano, dicitur auctor damnatus. Omnia ejus opera simul excusa fuerunt Lutetiar, cujus operâ certo nesciebam, nisi D. Annotator, *Cordesio grates* eo nomine ageret. *Cordesium* autem existimo eum esse, qui *Ioannes Cordesius de Cordes*, appellatur, Lemovicensis Presbyter & canonicus, quem nescio an *grates acturus* sit Domino annotatori, qui nomen quod in editione operum Cassandri non expresserat, voluit innotescere, & hoc nomine ei censuram aliquam procurare.

*Philippi Melanchthonis* vita accuratè à Joachimo Camerario conscripta fuit, ex qua constat fuisse virum pium & doctissimum Ecclesiæ pacis & concordiaë studiosum, qui sub initijs, cum speraret aliquam reformationem per futurum concilium instituendam, in nonnullis satis liberali se exhibuit. Sed cum posteà expertus esset, se frustra tale quicquam expectasse, rebus melius expensis, ea scripsit, quæ quam aliena fuerint à scopo conciliatorum ostendunt ejus opera, ex quibus etiam nonnulla deerpsimus, quæ non patiuntur dubitare, de vera & constanti illius sententia. Narrat Camerarius quomodo fortiter se gesserit in rejiciendo libro *Interim*, quem Carolus Imperator voluit recipi

R

pro

pro formula conciliationis ad Concilium usque; nam in eum Caroli Imperatoris ira fuit suscitata, eo nomine quod delatus esset ad Imperatorem, *quod tales compositiones ipsi displicerent.* & conciliationi, *consilio & actionibus reclamando officeret.* Indices libr. prohibitorum cum inter Haresiarchas numerant, nedum ut ejus judicio stare velint inquisitores.

*Georgius V Vicelius* etiam Germanus, sed Melanchthoni valde dissimilis, primo Lutheri doctrinam sequutus, posteà anno 1531. à Lutherenis defecit, ut ipse scribit, & exinde variis scriptis eorum doctrinam impugnavit, acerri-  
mum se hostem præbens, quod patet ex ejus Epistolis, anno 1537. *Lipsiæ editis:* In quibus tamen apparet eum ita Ecclesiæ Romanæ nomen dedisse, ut non destiterit ab insectan-  
dis Sophistis, pariter cum iis quos *hereticos & schismaticos* pronunciabat; totus Erasmianus. Sic enim ille ad Erasmus, *Rebus Christianis non ita commodavit post Apostolos Theologorum ullus, seu connumeres paleotericos seu neotericos, etiam ii qui librorum plurimorum commendatione nobilissimi sunt, veluti quatuor illi Doctores Ecclesiae, quorum tu duos illustrans, illustratos vicisti.* Augustinum & Hieronymum intelligit. *Repugna, inquit, utraque manu, resiste utroque pede, tam Schismatici quam Sophisticis commentis.* *Volunt heretici nequid horum remaneat integrum quæ sunt in Ecclesia.* *Volant Sorbonici ne quid tollatur.* *Nemo aptior Palamon, nemo justior*

*justior Areopagita, nemo incorruptior Amphictyon, te divine vir. Conqueritur quod in bivio hærent populi, Abhorrerent à tot superstitionibus, ritibus, aut rituum potius abusibus. Deinde à Cathedris non depuratis. Postremo à nimium pudendis cleri flagitiis, sed non intelligant quo eant, vel quo redeant. Alibi, Nemo me magis odit papistica, hoc est eam Ecclesia partem qua dedecori est Euangelio & Christiano nomini, præterea nova quadam dogmata veteribus Theologis ignorata, & ipsam adeo Sophisticen, & totum chaos errorum, superstitionum, fabularum. Hæc de Ecclesia Romana scribebat, quo tempore in Lutherum & Iustum Ionam totum virus suum effundebat. Hū, inquit, proximi sunt à parte contraria, qui ita Pontifici Romano dediti sunt, ut videantur & ipsum pro numine aliquo adorare. Talibus nihil sapit, nisi quod insignis superstiosum. Nomina-tus Christus horum corda minus commoveret, quam nominata Maria. Candela incensio magis hos juvat, atque Euangelii lectio. Pauli literas posthabent legendis divorum. Quando predicatur vita alicuius Patriarche aut Regis aut Prophetæ è Veteri Test. dormiunt; at quando aliquid de Sanctis ex Vincentio, aut aliquid de mortuis ex Gregorio succinitur, mox expurgiscuntur. Hoc genus prius habet abstinere à carne vacca, quam à carne ancilla. Feriis postponunt vita innocentiam, & precepta Dei preceptis hominum. Talibus querelis personant Epistolæ illæ, tam in Lutheranos, quam in Papistas. Tertiam Religionem vel medium, meditabatur, ad quam*

R 2 perve-

pervenire non potuit. Quemadmodum Cas-  
sander, sic etiam Vicelius eodem tempore, ab  
Imperatoribus, Ferdinando, & Maximilia-  
no II. consultus fuit, de Religione reformanda  
anno 1564. ad quos scripsit, post acceptas ab  
eis literas, *Compendium de Semitis antiquis apud Ie-remiam Prophetam*, *Ecclesia reformanda aut restituenda potius, &c.* Qui libellus quemadmodum  
& *Consilium Cassandri*, expendit articulos Con-  
fessionis Augustanæ. Addidit præterea anno  
1575. idem *VVicelius* alium libellum ad Impe-  
ratorem, cui titulum fecit, *Elenchus abusuum, cor-  
ruptelarum, deformitatum, vitiorum, deliquiorum  
principiorum, in Ecclesia Romana*, quem velim dili-  
genter ab omnibus legi, nihil enim expressius  
unquam, à quoquam scriptum est, quo Anti-  
christiana Apostasia omnibus innotesceret.  
Habetur uterque liber integer Centenario xvi.  
Lectionum memorabilem Ioan. Wolphii iC.  
Mirum est autem, cum talia scripserit, quod  
effugerit, Doctor Theologus & uxoratus,  
Censuram Indicis Romani, cum scripta ejus  
ad Cassandriana comparata fuerint felle deli-  
buta pro melle. Reperio tantum in Indice Lu-  
sitano anni c15 15 cxxiv. quædam ex ejus  
Postillis & quadragesimalibus concionibus  
expurgata, sed pauca, & nullius fere momenti.  
Possevinus enumerat ejus opera, sine ulla no-  
ta. Paucis autem ingenium suum describit, in  
Epist. ad D. L. D. scripta anno 1533. Qui concor-  
diām

diam Ecclesia exoptat, is neutri parti nimium inhae-  
reat necesse est. Hoc nomine placuit D. Annota-  
tori. Oleum tamen & operam perdidit.

Sequitur *Andreas Friccius Modrevius*, Sigis-  
mundo Regi Poloniæ à Secretis, qui libros de  
*Repub. emendanda*, & de Ecclesia scripsit, excusos  
in folio Basileæ apud Oporinum 1559. Præte-  
rea libros de peccato originis, de libero arbitrio, de  
providentia & prædestinatione, de Mediatore, &c.  
in 4. excusos 1564. Is initio, cum adhuc spera-  
ret reformationem per Concilium, multa scri-  
psit, ut qua ratione id fieri posse judicaret, ex-  
poneret. Sed male exceptus fuit, & tandem  
coactus à Romanæ Ecclesiæ communione re-  
cedere. Ideo Simon Starovolscius, qui Cen-  
tum Poloniæ Scriptorum elogia & vitas nu-  
per emisit, de eo sic scribit. *Regius secretarius*,  
inquit, seu *maris lutulenti illius subulci Lutheri*,  
cujus nefariis dogmatibus imbutus, infestabat Eccle-  
sia portas, dicendo quæ non oportuit, scribendo quæ non  
licuit, & agendo quæ non decuit. Vocat eum *im-  
pium*, & *hostem Ecclesiæ*, additque in eum disti-  
chum hoc *Ioannis Scrobavicii*,

*Flos inter spinas sapiens Modrevius inter*

*Harefeson tribulos est sine fruge decor.*

Quæ ideo refero, non ut quicquam ei viro de-  
traham, qui suo tempore paucos habuit æqua-  
les; sed tantum ut ostendam quid expectare  
debeant intempestivi moderatores, ab iis qui  
multo minus hoc nostro tempore passuri sunt,

quicquam apud se mutari, aut reformati. Vellem D. Annotatorem exæte perpendere quæ scripsit vir ille de peccato orig. provid. prædest. & libero arbitrio, & ejus in iis judicio acquiescere.

*Marcii Antonii de Dominis Archiepiscopi Spalatinii* recens est memoria. Levitatem ejus, avaritiam, & ambitionem experta est Anglia. Hæc virum alioqui non indoctum, perdiderunt. Et quamvis ambiguus fuisset, nonnullaque scripsisset in tertio suorum operum tomo, quibus indicabat quam lubricus esset in Religionis negotio, id postea magis innotuit, quando Cardinalis Ludovisius qui fuerat ejus condiscipulus, Pontifex factus, Greg. xv. cum per Hispaniarum legatum invitavit, non spe tantum impunitatis, sed etiam lautioris fortunæ: quam ut obtineret, editâ palinodiâ Papæ assentatus est. Sed non diu persistit in proposito; unde factum est ut in carcerem conjectus, in eo moreretur, & cadaver ejus ab inquisitoribus ad rogum fuerit damnatum, misero ejus amanuense strangulato. Sensit ille Horribile esse incidente in manus Dei viventia. Ejus ventripotentiam vidi in Anglia anno 1621.

De Rege Magnæ Britanniaz antea egimus. *Sensa ejus Casaubone mandata* non satisfecerunt Cardinali Perronio. Casauboni autem viri doctissimi famam, à calumniis Iesuitarum qui ei objiciebant inconstantiam in Religione, purgavit

purgavit doctiss. filius Emericus. Eum non satisfecisse Pontificiis argumento est, quod ejus Epistolæ nuper Romæ publice fuerunt prohibitæ, quod per oculatum testem mihi innotuit, qui earum titulum cum condemnatione affixum vidit cippo probroso.

Si à grata posteritate pretium aliud expectet D. Annotator, quam quod reportarunt ii quos laudavit, & quorum paucis descripsimus elogia, non dubito quin qui victuri sunt, percipiant, quam evanida fuerit spes ejus. Det ei Deus meliorem mentem, non solum ut famæ, sed maximè ut conscientiæ suæ melius consulat. Amen.

#### R 4 APPEN-



## APPENDIX AD ARTIC. VII.

### Continens Positiones XII.

*Theopholi Bracheti Milleterii, Romę proponendas in congregatiōne de propaganda fide, ut facultas ei à Papa concedatur religionis dissidia compendi.*

*Ex eius libello de potestate Papæ & temedio contra Schismata.*

I. **Q**UI Papæ tribuunt autoritatem Monachicam & absolutam, qui volunt alios Episcopos ab eo immiediatè jurisdictionem habere, non à Christo; qui propterea ei *infallibilitatem*, ut loquuntur, tribuunt, & supremam autoritatem in Concilia universalia, qualem habet Monarcha supra ordines regni; ii autoritati Papæ frangunt collum, & supra nubes eum extollunt ut ad motis scalis, ut ita dicam, in cœlum concendat. Pag. 44.

II. Illu-

II. Illustratio fidei Catholicæ quam confirmo, sufficiet, ut sponte ruat temerarius & præcipitatus ille volatus Simonis Magi , non Simonis Petri, quem curiæ Romanæ adulatores vellent à potestate Papæ in Ecclesia usurpari. Pag. 45. & 45. Vera forma sedis S. Petri non amplius agnoscitur in sede in qua eum collocant, in qua eum sedentem exhibent tanquam Regem mundi. Ibidem.

III. Jura Monarchiæ in Ecclesia sunt imaginaria , & suprema autoritas quam adulatores Papæ ei tribuunt ; qui etiam effecerunt, ut nonnullorum ex eis ambitio, suaviter imbiberit venenum harum opinionum infernalium , & in seculis ignorantiae tam periculosos effecetus in Ecclesia produxerunt , quod per ignes & lanienas quas in ea excitarunt , adeo tandem splendorem & sanctitatem sedis S. Petri infuscarunt & fœtidam reddiderunt , ut in eo justam occasionem præbuerint iis qui se ab eo separarunt , Papam insigniendi titulis odiosis & horrendis quibus eum traducunt. Nam si rem spectemus, non adversarii Papæ , sed ejus adulatores, fronti ejus impresserunt notas mysterii iniquitatis, filii perditionis, hominis peccati, Antichristi , Babylonis , & Bestiæ Apocalypticæ, quando ei hanc potestatem vendicarunt , actus illos pestilentes patrandi , qui domum Dei mutant in speluncam latronum. Tum enim certè ei induunt horrendam illam

R 5 figu-

figuram sub qua fidelibus Thessalonicensibus Paulus digito commonstrabat filium perditionis per hos characteres , quod se se efferret adversus quicquid dicitur Deus , & Augustum , καὶ σεῖσμα . Hoc est proprium nomen quo Imperatores appellabantur σεῖσμοι Augusti . Ordinarium nomen Imperatoris erat *Divus Augustus* , formatum ex duobus illis, quæ Apostolus indicat, θεὸς καὶ σεῖσμα .

*De his inter Millerium & Grotium convenire debet. Nam quæ dicit Millerius à Paulo fuisse indicata, non possunt competere, vel Caligule, vel Trajano.*

I V. Quisquis Paparum attribuit sibi potestatem in Imperatores & reges, aut eam prætendit, vel eam exercere præsumit, quantumlibet dignitatem in Ecclesia possideat, sedendi in eminentissimo culmine sollicitudinis Pastoralis in sede Petri, se personaliter hominem peccati, & Antichristum probat.

V. *Pontificis maximi titulus tempore Tertulliani erat omnium appellationum quæ Papæ tribui potuerunt *odiosissima*. & nescio qua ratione moti fuerunt ii, qui novitatem prætulerunt veteri simplicitati, & hodiè hoc nomen frontispicio omnium titulorum Papæ gaudent imponere , tanquam appellationem ordinariam.*

V I. Osculum manuum est vera reverentia quæ omnibus Episcopis reddi debet, quos Deus constituit ad res sanctas nobis administrandas.

Sed

Sed honor ille exoticus quem barbara secula introduxerunt , & cuius adulatorum Papæ ignavia vel socordia ei consuetudinem confirmarunt , ut crepidam suam præbeat osculandam, res est prorsus indecens eorum dignitati, qui nobis bona cœlestia debent impertiri.

VII. Reges in potestate quam exercent habent imaginem Dei absolutam , qui bona & vitas nostras eorum potestati commisit. Idcirco eos Scriptura Deos dicit. Potestas autem eorum quibus Deus commisit regimen conscientiarum, est ministerialis tantum , non absoluta. Ministri sunt Sp. sancti , qui solus habet absolutam potestatem flectendi corda & conscientias gubernandi pro libitu , per virtutem quam indidit verbo suo , cuius pastores sunt ministri tantum, ad salutem eorum qui ad hæreditatem vitæ æternæ vocantur. Et hæc est formalis distinctio inter potestates seculi & ministerium Ecclesiæ , propter quam Jesus Christus solemni sua lege prohibuit Apostolis , ne Ecclesiam gubernarent ad instar absoluti & monarchici regiminis , quo reges nationum gubernant nationes sibi submissas. pag. 237.

VIII. Si verbis illis occide & manduca , Papa aliquid accepit ex eo quod Doctores Canonici miseri Theologi , pro eo somniarunt , videbimus tantundem aliis Episcopis dandum esse , cuique in sua jurisdictione ; & omnes eos credendos esse Monarchas , armandoisque gladio tem-

temporali cum potestate, jugulandi & spoliandi Magistratus civitatum & gubernatores provinciarum & reges nationum, omnibus suis ditionibus, intra fines Ecclesiæ in qua præstant. pag. 133.

**I X.** Bona omnia Ecclesiastica cuiuscumque sint naturæ, in unaquaque Diœcesi sita, administrari debent per œconomatum, ex quibus distrahere oportet quod necessarium est iis qui altari deserviunt, ab Episcopo ad minimum quemque, prout autoritati & dignitati uniuscujusque convenit sine super fluo excessu, quem multorum seculorum corruptio vertit in consuetudinem nimis periculosam, saluti eorum quibus ut plurimum tot bona nihil ingenerant præter multa vitia, & multum ignorantia, quibus Ecclesia carere posset. Reliqua impendantur veteri Ecclesiasticæ Charitati restituendæ ad subventionem & levamen, omnium membrorum Ecclesiæ. Pag. 58. & 59.

**X.** Cum inter diversa instituta, quædam dotata sint magnis redditibus Abbatiarum & Prioratum ditissimorum; alia autem paupertatis & mendicitatis voto se obstrinxerunt, ad horum paupertatem sublevandam, & eos à mendicitate liberandos, quæ vitæ Christianæ maximè indecens est & indecora, necessarium esset ut omnibus ex æquo provideretur, quantum cuique necessarium esset & sufficiens, juxta portionem assignatam unicuique conventui.

tui. Qua distractione facta, in uniuscujusque Episcopatus ambitu, quod superesset bonorum & reddituum, distribueretur usibus necessariis pauperum Dioceseos. pag. 60.

X I. Mors fidelium omnibus eorum pœnis finem imponit, easque mutat in pacem & gaudium. Vnde Ecclesia jugiter à Deo petit pro iis hoc refrigerium & perpetuum illius augmentum, offerens sacrificium propiciatorium & Eucharisticum corporis & sanguinis Christi qui eos redemit. Qui autem non intelligunt rationes veræ intentionis Ecclesiæ, quando pro mortuis orat qui in sua communione obierunt, & qui *dormiunt in somno pacis*, incidunt in miserandum statum pavoris; propter pœnas quas expectant post hanc vitam, secundum superstitionem ad quam eos induxit primum negligentia, deinde artificium natum ex eorum avaritia qui fuerunt eorum ductores. pag. 98. & 92.

X II. Revolutiones barbarorum seculorum mutaverunt linguam ordinariam totius Christianismi occidentalis; unde factum est, quod populus amisit intellectum cultus publici, cuius lingua ei fuit antea familiaris, & semper eadem cum ea quibus conciones habebantur; Nondum curarunt restitui hoc beneficium, quod toti populo infelicitas temporum sensim eripuit: qui hac ratione sensit se privatum medio illo, quod maxime necessarium est

exer-

exercitium, ad instructionem & praxim pietatis tam florentis primis Ecclesiae seculis, quibus mysterii illius intelligentia producebat adeo admirandam virtutem patientiae & charitatis, in anima omnium fidelium; quam ignorantia & supersticio hodiè totam everterunt, quæ nihil oculis objiciunt præter miserandas ruinas Christianismi in hominum plerisque.  
Pag. 99.

*Has XIII. hypotheses si velit D. Milleterius Romae tueri, poterit se conferre ad insigne Marci Antonii de Dominis, & opposituros invitare ad benignam ovētōnōv, in presentia congregationis de propaganda fide, addito sequente, de suo instituto, Sorbona testimonio.*

**P**rodiit nuper & evulgatus est liber Theophilii Brachet de la Milletiere, cum hoc lemmate, *Moyen de la paix Chrestienne en la reunion des Catholiques & Euangéliques, sur les differens de la Religion. In quo, sub nomine arbitri & mediato-  
ris, inter Orthodoxos & Hæreticos, injuriam facit prima sedi & Summo Pontifici, sacra & œcuménica Concilia divexat, & ubique pessimum interpretem agit mentis & definitionum Ecclesiae, totumque opusculum audaci, sed infælici conatu, sacra Theologia facultati Parisiensi tanquam vindici sua, & approbatura nuncupavit. Quo in consilio, quia in multis, in spe-*

speciem humana laudis imponere posset, aut fucum facere: Sacra facultas, proponente id Syndico in comitiis ordinariis & generalibus, habitis in aula Collegii Sorbona, post missam de Sp. sancto die IV. Novemb. anno Domini millesimo, sexcentesimo trigesimo septimo, quatuor Magistros selegit & deputavit, qui totum hunc librum accurate perlegerent, & sequentibus postmodum Comitiis, publica eorum relatione audita, & re diligenter expensa, predictum librum damnavit, utpote stylo, spiritu, & charactere hominis etiamnum haereticum conscriptum, & passim inspersum fragmentis, laciniis, erroribus & propositionibus haeresis Calviniana, quas semel retraxisse & vidisse, damnasse est, ne actum agere videatur: Imo vero ex ipso etiam arguento operis, quamquam rudioribus in speciem commendabili, improbabit hunc librum, tanquam non colligentem nobiscum, sed dispergentem. Etenim Catholica fides regula est, sed non Lesbia, qua ad arbitrium aut figura ingenii humani debeat distorqueri, nec potest pati ejus simplicitas ullius mixtionis labem; aut unitas, ullius divisionis vulnus; aut puritas, maculas vel participationem alieni tori, adeoque ex conjugio haeresis Calviniana & vera fidei, quod commentus est hic novus autor, non potuit nasci nisi monstrum, aut damnata proles. Eam ob rem, sacra facultas prefatum autorem monet, ut serio respiens, veteres errores ejuret, & devitet opiniones falsi nominis scientie, ne quaevis coloribus, terminos Patrum pretergrediat; alias, qui non credit, jam judicatus est. Denique eadem net facultas reverentiam & obsequium prefata,

Illustri-

Illustriſſimos Eccleſia præſules obteſtatur, ut antiquum  
virus hærefis jampridem condemnata ſub novo ſpiritu  
ſe exerens procul à ſuis diœcēſib⁹ arceant & climentent.  
Tandem ne bujuſ operis condemnati quemquam la-  
teat, Cenſuram hanc typis vulgandam eſſe decrevit.  
Pariſis in congregatiōne generali, habita in aula Col-  
legii Sorbona die xv. Decembriſ, anno Domini mil-  
leſimo, ſexcentesimo trigesimo ſeptimo.

Cur autem juxta Sorbonæ decretum, hoc  
nondum fuerit typis mandatum, ſatis no-  
tum eſt. Sed ne ſemper Sorbona ſuo pro-  
poſito fruſtretur, è re publica judicavi-  
mus, hoc monumentum posteritati non  
invidere, poſtquam in manus noſtras per-  
veniſſet, eorum opera qui D. Milleterio  
nunc maximè favent: ut dignum autor  
*A grata preſtium posteritate ferat.*

H V G O G R O T I V S,  
In Carmine præfixo Exercitationibus Casauboni.

*Auctoramentum non eſt leve, purpura: pridem  
Pontifices verum non didicere pati.*

F I N I S.